AZ
LE III

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
A
12
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

ANCONITANA
SYNODVS

AB EMINENTISS: ET REVERENDISS: DOMINO

D. IOANNE NICOLAO

MISERATIONE DIVINA,

TITVLI S. MARIÆ TRASPONTINÆ S. R. E.

PRESBITERO CARDINALI DE COMITIBVS,

Anconitano Epiſcopo, & Humanæ Comite.

Habita die 4. & 5. Nouembris M. DC. LXXIV.



ANCONÆ, Ex Typographia Camerali. M. DC. LX[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

INDICTIO

PRO

HABENDA SYNODO.

IOANNES NICOLAVS

TIT. S. MARIÆ TRANSPONTINÆ S.R.E.

PRÆSBITER CARDINALIS DE COMITIBVS

EPISC. ANCONITANVS HVMANÆQ; COMES.

DOMINICI Gregis Curæ præpoſiti noſtri muneris admonemur, vt ea, quę pro ſalute Animarum, & Eccleſiarum Nobis commiſſarum regimine in Domino magis expedire videntur, ſalubrius conſulamus; Cum igitur noſtri feruor deſiderij eò tendat Amoris, vt omnes Chriſto lucrifaciamus, cuius ſanguine redemptì pretioſa quęq; No-

Digitized by Google

bis poſſeſſuri pollicemur in Patria, dum in hoc ſæculo viatores ſumus, neceſſe eſt, ne labe iniquitatis Oues Nobis creditæ coinquinentur, vt oppoſita malis medicamenta virtutum, lapſis vulnera oleo lenitatis detergamus, & opportuno prouidi in futurum remedio occurramus. Qua de re Sacroſancta Æcumenica, & Generalis Tridentina Synodus omnibus Epiſcopis præcipiendo mandat, vt coacta Diœceſana Synodo, abuſus, qui in Diœceſi propria irrepſerint prorſus tollant, ſcandala radicitus euellant, & diſſipent, & virtutum plantationes propenſius inducant, vt ſic Deo dante fructuum bonorum operum recollectione perfecta Beatæ æternitatis Horrea vberiora fiant. Hinc eſt quod conſiderantes Nos noſtræ dignitatis partes eſſe Diœceſanam Synodum indicere per præſentes; & cœleſti aſpirante gratia celebrare congruo tempore decreuimus, qua occaſione moti vobis omnibus tàm in noſtra Cathedrali, quàm in Collegiata dignitates obtinentibus, Canonicis, Præbendatis, cæteriſq; in Ciuitate, & per Diœceſim Parochiales, & Beneficia quæcumq; poſſidentibus, Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Presbiteris, Plebanis, Rectoribus, ac omnibus Eccleſiaſticis noſtræ Iuriſdictioni quomodolibet ſubiectis, ac intereſſe habentibus notum facimus, qualiter ſub die quarta, & ſequentibus ſi opus fuerit, Menſis Nouembris proximè venturi noſtram Diœceſanam Synodum in noſtra Cathedrali S. Ciriaci celebrare ſtatuimus, in qua vnuſquiſque veſtrum ſuperpelliceo indutus accedere, & cum proprij beneficij, ſi quod habet, ſtatu conſcripto ſe preſentare tenebitur; Vos hortantes propte-

rea,

rea , vt in hoc tam inſigni noſtri Epiſcopatus munere Diuinam Opem Nobis continuo implorare ſtudeatis, & ſic per decem dies ante conuocato in Eccleſia ad ſonum Campanæ Populo Litanias B. Virginis quotidie canere debebitis ; vt tàm eximium noſtræ infirmitatis opus diuino inſpirante ſpiritu omni , quo decet ſtudio , pietate , & charitate dictemus , perficiamus, coronemus . Dat. Anconæ ex noſtro Epiſcopali Palatio hac die prima Octobris 1674.

IO: NICOLAVS CARD. DE COMIT. EPISC.

Digitized by Google

PRÆFATIO
EMINENTISSIMI
EPISCOPI
AD CLERVM.

VIRI Fratres à Deo electi in Opus miniſterij ſui. Pax Vobis. Viſum eſt Nobis oportune vos ad hanc noſtram Diæceſanam Synodum conuocare, vt ea quæ pro Eccleſiarum gubernio, & animarum ſalute proficua eſſe perſpeximus veſtro conſilio annunciemus: Et quamuis vos omnes ſpectatæ virtutis, in laboribus aſſiduos, & in Animarum vobis commiſſa cura intentos videamus; Ita vt Vias Domini feliciter currentes calcaribus non indigeatis; quia tamen & ſi vſq; modo multa fuerint obſeruata lata Decreta tàm à Nobis Vobis præſentibus in Congregatione Synodali habita die vigeſima tertia Menſis Maij Anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi octaui, quàm ab Anteceſſoribus noſtris in celebratis Synodis, multa vero ſint per non vſum ferè obliuioni tradita; hęc Nos renouare, & pauca de nouo edere decreuimus, quæ Diuino Cultui, Animarum regimini, & temporum corruptelæ opportuna, & neceſſaria fore ſtatuimus. Hæc quæ vobis mandata damus noſtra auctoritate confouemus. Accingite vos ergo zona aurea charitatis lumbos veſtros, & in legem Dei perfectam, quæ libertatis eſt attentè conſpicite, non obliuioſi mandatorum facti, ſed factores operis, ſicuti decet genus regale Sacerdotum: vobis enim à Domino eſt demandata poteſtas, qua Cælo, qua Terris maior ineſſe non poteſt, ideſt animarum ſalutis moderatores eſſe, Deique miniſtros effectos Sacramenta miniſtrare. Qua propter à Deo Optimo Maximo humiliter in agendo precamur, vt auxilium ſuum proſpiciens ex alto det omnibus affluenter. Vos interim Fratres cariſſimos, quos charitate perfecta in Domino diligimus, hortamur ex animo, ne contemnatis vllum de mandatis iſtis, ſed omnia diligenti cura adimplere conemini, memores, quod non eſt benedictione dignus, qui opus Dei facit negligenter; In Vinea Domini Cuſtodes poſiti Vineam cuſtodite, ſepibus munite, hoc eſt vitia corrigendo, & bona fouendo, vt benedicatur in vobis, qui eſt, & erit benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN

IN NOMINE SANCTISS.MÆ, AC INDIVIDVÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.

De Fidei Profeſſione, & Cultu. Titulus I.

CAPVT I.

PLACITVRI Deo, Fidem, quæ iuſtarum eſt pabulum animarum, cum ſcriptum ſit, Iuſtus ex fide viuit, & ſine qua Deo placere non poſſumus, Ortodoxam, quam Sancta Apoſtolica Romana docet Eccleſia, teneamus. Hæc Chriſtiani ædificij fundamentum eſt, & quid quid fide ſincera agitur fructum habet boni operis. In hanc igitur incumbere omnes hortamur, vt puriſſimam aquam vna ſimul valeamus de fontibus bibere Saluatoris.

Qua propter omnibus noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis præcipiendo mãdamus, & maximè rudibus, ac litterarum ignaris de fide publicè, aut ſecretò cum Hæbreis, aliiſq. Infidelibus non diſputare, ſed de fide benè, qua decet humilitate ſentire, cum hęc teſte Apoſtolo ſit ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum nõ apparentium.

CA-

CAPVT II.

PRouiſi de quibuſcumque beneficijs cum Cura, & ſine Cura, vltra Profeſſionem Fidei, quam iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini Decreta emittere tenentur, in prima Synodo poſt adeptam proprij beneficij poſſeſſionem celebranda, ſicuti iam vſq; modo prouiſi in preſenti emiſerunt, emittant.

CAPVT III.

SAcerdotes ad Confeſſiones approbati caueant illas audire, etiam ſi Regulares ſint, ſic etiam, & concionari in Eccleſijs ſui Ordinis, Sermocinari, & Lectiones de Theologia, Philoſophia, aut de alijs Artibus liberalibus habere, niſi priùs Fidei Profeſſionem coram Nobis, aut Vicario noſtro Generali emittant, quatenus in hac Diœceſi id alia vice non fecerint.

CAPVT IV.

AD Fidei Profeſſionem emittendam teneri quoque ſciant in noſtra Diœceſi exiſtentes Medici, Chirurghi, Muſicæ, & Grammaticæ Magiſtri, ſeu cuiuſuis Artis liberalis Profeſſores, Impreſſores, Bibliopolæ, & ſimiles, quod ſi impoſterum forenſes, & aliunde ad has exercendas aduenerint, teneantur Parochi de hoc Decreto illos admonere, antequam exercere incipiant, & ſi admoniti parere non curent, eorum nomina ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalē deferant, vt opportunis remedijs occurramus.

CAPVT V.

QVoniam Piæ Mem. Clemens VIII. ſalubri Conſtitutione ſanciuit nemini licere ad Hæreticorum, Sciſmaticorum, aliorumq; de Fide ſuſpectorum Regiones ſe transferre, cautius id obſeruent Mercatores, alijue cuiuſuis conditionis exiſtant, ne Nobis inſcijs contra huiuſmodi conſtitutionis prohibitionem iter illùc arripere audeant, antequam à Nobis monita ſalutis accipiant, & obligationi obnoxios ſe ſciant de annuali peccatorum ſuorum confeſſione, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione fidem Nobis transmittendi, alias contra eoſdem, vti de Hereſi ſuſpectos procedetur.

CAPVT VI.

REpreſentationes, quamuis ſpirituales, Sermones, & Orationes, ſiue alicuius Scientiæ Concluſiones publicè non expo-

nan-

nantur abſque noſtra, ſeu noſtri Vicarij Generalis licentia.

In publicis Proceſſionibus Litaniæ ſolitæ decantari, decantentur nihil addito, vel diminuto.

Nemini liceat Reuelationes, aut noua Miracula alicuius etiam Sancti Typis mandare, aut ſcripto publicare abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione, & Sacræ Congregationis vniuerſalis Inquiſitionis licentia.

Tenor Profeſſionis Fidei ponitur in calce, ita, & forma Iuramenti præſtandi.

TITVLVS II.

De Græcis, & eorum Ritibus.

CAPVT I.

QVONIAM Fœlicis Recordationis Pius Papa IV. peculiari ſanctione Græcos omnes tàm Laicos, quàm Religioſos, &. Seculares Clericos non ſolùm Latino more viuentes, ſed etiam Grecæ Eccleſiæ Ritus, & mores obſeruantes, eorumque Eccleſias, Prælatos, & Adminiſtratores Viſitationi, Correctioni, Iuriſdictioni, ac omnimodæ ſuperioritati Ordinariorum Latinorum in quorum Diœceſibus degunt ſubiectos eſſe ſanciuit, declarauit, voluitque, ſublatis eiſdem Immunitatibus, Exemptionibus, & Priuilegijs quibuſcumque per prædeceſſores Pontifices conceſſis; Ideo hoc noſtro quoque Decreto præcipimus, quod omnes Sacerdotes Sæculares, & Regulares Græco more, & Ritu viuentes, qui ad hanc Ciuitatem appulerint, ſiue de præſenti cohabitant cuiuſcumque dignitatis, & conditionis exiſtant Miſſas celebrare volentes & Sacramenta miniſtrare, in Manibus noſtris, ſiue Vicarij noſtri Generalis Fidei Profeſſionem emittant iuxta formas traditas per Gregorium XIII. ad quod præſentes poſt huius Synodi publicationem infra quindecim dies teneantur ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ.

Ad hanc verò Fidei Profeſſionem emittendam oriundos tan-

Digitized by Google

tùm, vel ordinatos in Sicilia, & alijs Inſulis Italiæ adiacentibus, & propterea ab Epiſcopis Catholicis adſtrictos volumus, nam cæteri in alijs locis extra Italiam, & Siciliam ordinati, & ſic ab Epiſcopis Communionem cum Eccleſia Catholica Romana non habentibus etiam præmiſſa Fidei Profeſſione non erunt admittendi, vt ex litteris Sacr. Congregationis vniuerſalis Inquiſitionis apparet Epiſcopo Anconitano die 30. Aprilis 1624. directis.

Moderno igitur Rectori, cæteriſque in futurum exiſtentibus in Eccleſia S. Annæ Græcæ Nationis inhibemus, & mandamus, ne quempiam, licet Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali dignitate inſignitum ad ſacra facienda admittant, quibuſcumque teſtimonialibus litteris munitum, Nobis, ſiue noſtro Vicario Generali inconſultis, neque aliquem latino more viuentem communicare audeant, niſi ſub ſola ſpecie panis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, alijſque corporalibus arbitrio noſtro infligendis.

Chriſma idem Rector quolibet Anno à Nobis, & à noſtra Cathedrali Eccleſia accipiat, quo ſolo vtatur, & Baptizandos non in fronte, ſed tantùm in vertice obſignare, & linire omnino procuret, alias arbitrio noſtro erit puniendus, vltra ſuſpenſionem, quam ipſo facto incurret.

CAPVT II.

GRæci omnes, tàm Sacerdotes, quàm Laici ab eſu carnium abſtineant in publico, niſi neceſſitas vrgeat, diebus quatuor Temporum, Vigiliarum, Veneris, & Sabbati, & obſeruent dies feſtos Eccleſiæ latinæ, ac ſi latini eſſent ſub pœnis contra latinos inobſeruantes indictis.

CAPVT III.

NOſcant Græci in hac Ciuitate degentes ſe teneri proprios Ritus, & dogmata obſeruare iuxta œcumenicas ſanctiones, & præſertim San. Mem. Innocentij IV. & Bullam Clementis VIII. ac pro Ordinibus ſuſcipiendis Vrbem adire, vt extant litteræ Sacr. Congreg. vniuerſalis Inquiſitionis Epiſcopo Anconitano die 22. Decembris 1622. directæ.

CA-

CAPVT IV.

NE impoſterum lis, quæ inter Latinos Parochos noſtræ Ciuitatis, & Rectorem Curatum Græcorum S. Annæ ſuper quarta funerali mortuorum eligentium ſepulturam in eadem Eccleſia orta fuit, ſuboriatur, meminerint Rectores Decreti aliàs emanati, ſcilicet quod ſi quis in Eccleſia prædicta S. Annæ elegerit ſibi ſepulturam, qui dum vixit à Latino Parocho Sacramenta percepit, & latino more vitam duxit, Latinus Parochus integram eam partem cereorum, aliarumque quarumcumque rerum abſque diminutione aliqua recipiet, ac ſi Latinus defunctus eſſet. At ſi defunctus Græco ritu vixerit, ibidemque ſepulturam elegerit, Latinus Parochus nulla ratione aliquid ſibi dari pretendere poſſit, ſed totum vtilitati Eccleſiæ S. Annæ prædictæ cedat.

Forma peculiaris Profeſſionis Fidei pro Græcis ponatur in calce.

TITVLVS III.

De Sacramentis in Genere.

CAPVT I.

SANCTA Sanctè tractanda ſunt, ideoque Sacramentorum adminiſtratio omni, quo fieri poteſt conſcientiæ nitore, Angelica immo eſt facienda puritate; hæc enim à Chriſto Domino noſtro inſtituta ad ſalutem animarum oppoſita vitijs, beata nos faciunt cœleſti Menſa potiri. Per hæc omnis vera Iuſtitia, vel incipit, vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur: Incipit in Baptiſmo, augetur per confirmationem, per Euchariſtiam, per Ordinem, per extremam Vnctionem, & Matrimonium; Reparatur autem per Pœnitentiam.

Digitized by Google

CAPVT II.

CVm extra neceſſitatis caſum proprium Parochi munus ſit Baptiſmi miniſtrare Sacramentum, nemo alius quamuis Sacerdos extra caſum prædictum huiuſmodi Sacramentum miniſtrare præſumat, niſi talis Sacerdos de licentia Parochi id agat. Intelligant inſuper omnes poteſtatem conficiendi Euchariſtiæ Sacramentum, quemadmodum etiam Pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis ſoliùs eſſe Sacerdotis, ſicuti ſoliùs Epiſcopi eſt Confirmationem, & Ordinem conferre, & in Matrimonio ſolos contrahentes eſſe Miniſtros ſciendum eſt.

CAPVT III.

AD valorem Sacramentorum præter materiam, & formam intentionem in Miniſtro requiri docet Eccleſia, quæ quidem intentio debet eſſe tali modo, faciendi ſcilicet quod vera facit Eccleſia.

CAPVT IV.

IN adminiſtrando Sacramenta, miniſtrantes omni grauitate hoc munus exequi volumus, veſtibus ſcilicet talaribus induti ſint, ac ſuperpelliceo, & alijs indumentis tempori, & negotio congruentibus, Formulis, Cæremonijs, & Ritibus non alijs, quàm per Rituale Romanum præſcriptis vtantur ſub pœna arbitrio noſtro danda.

CAPVT V.

IN actu Sacramenti adminiſtrandi nullus fiat eleemoſynarum quæſtus, nec etiam vlla ſponte oblatarum recollectio: procul ſit omnis auiditatis ſuſpicio, & Eccleſiæ candor in habitu, geſtu, opere, & ſermone ſemper appareat.

CAPVT VI.

SAcramenta, aut Sacramentalia in loco apto, decenti, ac perpolito aſſeruentur, claues penes ſe ipſos Parochi retineant, illis indigentibus prompti ſint, quia ex obligatione tenentur.

TITV-

TITVLVS IV.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPVT I.

SACRAMENTORVM ianua eſt Baptiſmus; quoniam renati ex aqua, & Spiritu Sancto capaces efficimur gratiæ cœleſtis, quæ in Eccleſia Dei ſicuti per iſtud, ita, & per cætera Sacramenta confertur. Mortuorum Sacramentum Baptiſmus dici ſolet; ſicuti, & Sacramentum Pœnitentiæ, quia originali detenti peccato Deo mortui ſumus, niſi per lauacrum Baptiſmi vitam habeamus, & adulti in peccata prolapſi reuiuiſcamus per Pœnitentiam.

Vnumquemque in neceſſitatis articulo eſſe Miniſtrum Sacramenti Baptiſmi docet vniuerſalis Eccleſię Catholicę praxis, dummodo miniſtrans materia vtatur neceſſaria, intentionem habeat faciendi quod vera facit Eccleſia, & formam proferat. Animaduertendum tamen eſt in his caſibus, quod dignior ſemper baptizet, & ſic non baptizet Laicus prẹſente Clerico, neque fæmina preſente viro, niſi modeſtia aut pudor requirat quod fæmina baptizet, eo quòd adhuc infans ex vtero Matris non ſit editus, aut dignior neſciat formam.

Materia in Baptiſmo eſt aqua ſimplex naturalis, vel elementaris, & in ea quantitate, vt apta ſit fluere, & abluere. Forma verò. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

CAPVT II.

CVrent Parochi Obſtetrices, etiam antequam Obſtetricis exercitium exercere incipiant, diligenter examinare ad hoc vt dignoſcatur an bene earum miniſterium adimpleant, aut adimpleturę ſint in conferendo Baptiſmo aliquando inſtante neceſſitate, & an ſciant qualis intentio requiratur, quæ materia, & qualis forma, quæ licet vulgari Sermone proferatur validum tamen conferri Baptiſmum illas edoceant; & quatenus de his bene inſtructæ reperiantur fa-

cta

cta Nobis, vel Vicario noſtro Generali relatione, aut illis permittetur exercitium, aut interdicetur.

CAPVT III.

NOn audeant Parentes vltra diem tertium Infantis Baptiſmum protrahere ſub pœna excommunicationis; & ſi imminente morte Infans fuerit domi baptizatus, antequam ad Eccleſiam pro ſuplendis cæremonijs deferatur omni qua poſſunt diligentia Parochi inquirant de validitate collati Baptiſmi circa omnia neceſſaria, vt ſupra dictum eſt, & caſu quo de validitate non conſtet, illos denuo baptizare, at ſub conditione non dubitent, ſcilicet. Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. Idque obſeruari præcipimus quoad expoſitos, alioſue, qui in alia corporis parte, quàm in capite fuerint abluti eos baptizantes ſub conditione; Tutior enim pars eſt amplectenda, vt Clemens Octauus decreuit.

CAPVT IV.

IN Patrinos adhibendi alij non ſunt, dum ad Eccleſiam pro ſuplendis ceremonijs defertur Infans, quàm, qui domi fuerunt, dum in ea inſtante periculo fuit Infans baptizatus, per cæremonias enim nulla contrahitur cognatio ſpiritualis; Sic quoque dicendum eſt de Parentibus proprios filios in neceſſitate baptizantibus. Parochi Patrinos admoneant, vt ſciant quam cognationem ſpiritualem contraxerunt iuxta Concil. Trident. Admoneantque omnes, quod non licet Patrinos eligere vulgo dictos della Coppola.

CAPVT V.

NEmo eſt baptizandus domi niſi neceſſitate vrgente, ſed in Eccleſia ad Baptiſterium hoc conferatur Sacramentum, neque pluribus eodem tempore, nec ante ſolis ortum, nec poſt eiuſdem occaſum.

Baptizandis nomina tantùm Sanctorum imponantur, vt eos habeant in Cœlis Protectores, quorum nominibus fuerint in terris inſigniti.

CA-

CAPVT VI.

AGnoſcat vnuſquiſque Parochus Oues ſuas, ideoque caueat, ne alienæ Parochiæ Infantes baptizare præſumat, niſi aliter neceſſitas & periculum ſuadeat, quod prudentis Parochi iudicio remittitur.

Adultos nemo baptizare præſumat Nobis inſcijs extra neceſſitatem; ita nec liceat Infantes extra Diœceſim noſtram alibi ad baptizandum transferre; quod ſi huic Decreto inobedientes fuerint arbitrarijs pœnis punientur.

CAPVT VII.

CLerici omnes in Sacris Conſtituti, & Regulares, ac neſcientes fidei rudimenta, Excommunicati, Meretrices, Concubinarij publici, notorij blaſphemi, ſiue aliqua infamiæ nota notati, minores annorum quatuordecim, quique Sacramentum Confirmationis non receperint, ac in Paſchate non fuerint Sacra Communione refecti, ad leuandum de Sacro Fonte Infantes non recipiantur.

CAPVT VIII.

ADmoneant Parochi pluries in Anno inter Miſſarum ſolemnia Nutrices, & Matres, ne Infantes ante expletum annum in lectulo retineant ob ſuffocationis periculum, quodque Nobis inter peccata reſeruata reſeruauimus.

CAPVT IX.

NOn permittant Parochi, quod ad domum reportentur Sal benedictum, Candelæ, Bombix Sacro Oleo inunctus, vel linteolum, ſed penes ſe retineant.

Nomina baptizatorum, eorumque Parentum, Patrinorum, & Obſtetricis deſcribant in libro apto cum appoſitione diei, quod etiam pluries in Sancta Viſitatione ſtrictè iuſſimus obſeruari.

TITV-

TITVLVS V.

De Sacramento Confirmationis.

CAPVT I.

MAGNA vis ex Sacramento Confirmationis credentium animabus oritur, nam per hoc confirmatur gratia, & augetur, quo fit vt Spiritus Sancti igne accenſæ mortem pro fide ſubire non dubitent, & alacri animo, corde impauido omnia aduerſantia pro Chriſto ſuſtinere paratæ ſint; huius verò Sacramenti dignitas ex eo cognoſcitur, quod ſolus Epiſcopus ſit Miniſter.

Parochi autem ſuæ obligationis memores ſint, ac huius Sacramenti virtutem perſæpè confirmandis explicent, & quanta reuerentia debeant ad illud accedere, quanta corporis moderatione, modeſtia, & cordis humilitate edoceant, nam Deus, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.

CAPVT II.

PVeri ad hoc Sacramentum Confirmationis non erunt admittendi niſi Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Simbolum fidei, eiuſque rudimenta edocti fuerint, ac quintum ſuæ ætatis annum ad minus compleuerint.

Adulti verò ad hoc non accedant niſi ieiuni ſi de mane conferatur, ac omninò peccatorum ſuorum confeſſione expiati. Interim obſeruent Parochi ne hoc Sacramento iteratis vicibus, quis obſignetur; Sacrilegium enim non euitaret.

CAPVT III.

ORiundi ex aliena Diœceſi ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum non accedant, niſi facultatem habuerint a proprio Ordinario, quæ in ſcriptis erit oſtendenda; ita quoque Amentes, Infideles, Excommunicati, Interdicti, alijſque grauioribus criminibus notati, fideique rudimentis ignari non admittentur, ſicuti nec pro Patrinis.

Inun-

Inunctam verò ab Epiſcopo frontem abſtergat Sacerdos, nec permittatur cum vnctione in domum abire confirmatum.

Pro Patrino, qui non fuerit confirmatus, quique non ſit diuerſus ab eo, qui eumdem in Baptiſmo ſuſcepit, niſi aliter ſuadeat neceſſitas, non accedat.

Sintque Patrini natu maiores, aut in eadem ætate cum confirmandis.

Et ſicuti in Sacramento Baptiſmi contrahitur cognatio ſpiritualis, ita & in hoc Sacramento Confirmationis.

Parentibus non liceat ſuorum filiorum eſſe Patrinos, nec item coniugibus viciſſim.

Decetque vt mares à maribus, & fœminæ à fœminis teneantur, & confirmatorum nomina eorumque Parentum, & Patrinorum deſcribat Parochus in libro cum annotatione nominis Epiſcopi, & diei Collati Sacramenti, vt opportunè fides haberi poſſit.

TITVLVS VI.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPVT I.

DIVINA Sapientia Dei Patris Filius ſicuti hominum accenſus amore, e ſuperis ad terras euolauit carnem ſumens ex Virgine, vt à culpa abſolutos nos hæredes efficeret Patriæ Cœleſtis, ex hoc tranſiens mundo iturus ad Patrem Diuini Amoris ſui nobis relinquens diuitias ſe ſe ſub ſpecie Panis mundo donauit, vt nos participes faceret ſuæ diuinitatis; Nec enim alia ſub ſpecie, quam panis decuit ſe Nobis tradere, nam ſicuti pane alimur ad vitam, ita ſacrato pane nutriremur ad gloriam.

Diſcant ex hoc omnes noſtræ Iuriſdictioni ſubiecti quanta debeant reuerentia ad tàm diuiniſſimum Sacramentum accedere, quanta puritate venerari; Panis videtur, & Deus noſter eſt, ſe cœlat in paruo qui continet totum. Parochorum ergo ſtudium ſit ſuos ſubditos in his inſtruere ad hoc vt ſciant Chriſtum cum Anima, Corpore, & diuinitate

ſub ſpeciebus Panis , & Vini adeſſe , nobiſque comitem huius peregrinationis fieri , vt nos deducat in Patriam.

CAPVT II.

ASſeruetur in vnaquaque Parochia hoc Eucharisticum Sacramentum , & ſi fieri poteſt ſemper in Altari maiori aliàs in alio non minori numero , quàm quinque Particularum , vt neceſsitatibus occurrentibus prompta habeatur hæc ſalutaris medicina , ante illud verò diu , noctuque adſit lampas accenſa.

CAPVT III.

NVllo Regularium Ordini , aut Laicorum Societati , & Confraternitati liceat hoc diuiniſsimum Sacramentum adorandum exponere , abſque noſtra , vel noſtri Vicarij Generalis licentia quacumque ex cauſa.

In exponendo hoc Sacramentum in forma quadraginta horarum , obſeruentur ritus vſquè adhuc obſeruati , at candelæ non minori numero , quam duodecim ex cera alba continuò accenſæ permaneant , & Sacerdos vnus , cum Confratribus , aut alijs adſit , qui neceſsitatibus preſtò eſſe poſsit.

In Altari vbi hoc Sacramentum publicè adeſt expoſitum non celebretur ſi poſsibile eſt , & adſint alia Altaria pro celebratione Miſſarum apta . Interim Ianua Eccleſiæ vbi talis expoſitio fit velo oſtiario , aut tapeto claudatur ne proſpectus pateat per viam tranſeuntibus , & maximè Infidelibus.

CAPVT IV.

QVoniam vnuſquiſque propriæ ſalutis memor hoc diuiniſſimo Angelorum Pane , cum ad annum diſcretionis peruenerit muniri debet ſaltem ſemel in Anno , inuigilent Parochi , vt quotieſcumque aliquis eam ætatem attigerit hoc exequatur , inſtruantque quod ieiuno ventre à media nocte precedenti , & anima ſordibus expiata accedere tenentur ; Annuæ verò obligationi ſatisfacere debentes à die Dominico Palmarum vſq; ad Octauam Paſchæ adimpleant , aliàs eorum nomina ad Nos Parochi deferant , vt conſue-

conſuetis remedijs, & pœnis occurrere, & punire poſſimus, ſciantque quod vnuſquiſquè à proprio Parocho tempore Paſchali eſt ſacra Communione reficiendus.

Purificatio autem Laicis non in Calice porrigatur, ſed in vaſe vitreo, aut ex chriſtallo.

CAPVT V.

Repellantur ex hoc Sacro Conuiuio Hiſtriones, publicæ Meretrices, Concubinarij, Blaſphemi, Vſurarij, cæteriq; aliquo notorio crimine notati, niſi reſipuerint, & ſigna pœnitentiæ oſtenderint per aliquot dies ante.

CAPVT VI.

Non audeant Regulares in ſuis Eccleſijs ipſo Paſchatis die Sacra Euchariſtia Fideles reficere, nec etiam Laicos ipſis Religioſis inſeruientes, & cum ipſis inhabitantes, nam hi pro tali adimplemento ad propriam Parochiam ire tenentur.

CAPVT VII.

Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ dum defertur ad Infirmos aſſocietur ab omnibus, debitum eſt enim obſequium ſummo Deo, & Societas Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quę in quacumque Parochia per Diœceſim erecta exiſtit opera Confratrum vt par eſt deſeruiat, nec vmquam minori numero, quàm quatuor; Theſaurum enim Indulgentiarum à Summis Pontificibus conceſſarum non lucrantur, niſi ſeruitium præſtiterint; Ideò ſtudeant Parochi tales Indulgentias perſæpe Confratribus annunciare, vt ſic allecti frequentiores fiant.

Nemo audeat niſi Parochus deferre ad Infirmos Sanctiſſimum Sacramentum, & eo impedito alius Sacerdos de eius licentia ferat, qui ad audiendas Confeſſiones ſit approbatus, ſitquè indutus habitu talari, ſuperpelliceò, ſtola, & pluuiali.

CAPVT VIII.

Quoniam extra Parochiales Eccleſias nulla alia præter Eccleſiam Regularium, aſſeruandi Euchariſtiam gaudet

C 2 præro-

prærogatiuâ, ideo caueant omnes Eccleſiarum Priores, Conſeruatores, Officiales, Miniſtri, & quouis alio nomine nuncupentur in Eccleſijs ſuis, aut Oratorijs Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruare abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, de qua quatenus obtineatur Nos certiores facere tenentur, aliàs pœnis à Nobis decernendis erunt puniendi etiam corporalibus.

T I T V L V S VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

C A P V T I.

SICVTI per Sacramentum Baptiſmi Infantes ad gratiam generari, ita per Pœnitentiam adultos in peccata prolapſos reconciliari Deo credimus, & affirmamus, quare Dei noſtri immenſa Bonitas hoc facit, vt peccata pœnitentium per lacrimas eorumdem nouo quaſi Baptiſmo baptizentur, & quæ noſtræ fuerunt partus infirmitatis, ſint quoque cauſa ſalutis.

Hoc ſalutari lauacro vtitur Eccleſia, ſuoſque Filios Chriſti Sponſi pretioſo Sanguine redemptos à ſordibus, hoc mediante, liberat, eſtque Miniſter in hoc Sacramento ſolus Sacerdos.

Non tamen quilibet Sacerdos hoc poteſt miniſtrare Sacramentum (excepto neceſſitatis tempore), ſed qui beneficio Curato ſit prouiſus, aut qui coram Nobis ſeù Vicario noſtro Generali ab Examinatoribus Synodalibus examinatus ad audiendas confeſſiones ſit approbatus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

C A P V T II.

REgulares omnes Fidelium Confeſſiones audire volentes coram Nobis cum ſui Superioris teſtimonio ſe præſentare tenentur, & profeſſionem fidei emittere, aliàs ad tale munus non ſunt admittendi.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

SEmel in Anno hoc Sacramento omnes cum ad annos diſcretionis peruenerint à peccatis ſe expiare tenentur iuxta Concil. Lateranenſe ſub Innocentio III.

CAPVT IV.

AGnoſcant Confeſſarij proprij muneris ſeruare ſecretum, nec aliquid directè, vel indirectè, ante vel poſt mortem pœnitentis de habitis in confeſſione audeant reuelare, alias pœnis à Sacris Canonibus inflictis erunt puniendi, ac alijs arbitrio noſtro.

Pęnitentes ad confeſſionale accedentes confeſſarij benignè recipiant, & caritate audiant, grauitatem commiſſi peccati illis demonſtrent, & ſi verecundia detentos viderint, moneant ſacrilegium committere, & Dei iudicium non effugere, qui integrè, & ſincerè ſua peccata non confitentur.

Caueant Confeſſarij, ne videantur à Populo cum Pœnitente iraſci, riſus excitare, manibus geſtire, & ſimilia facere, ſed compoſiti corpore ſemper permaneant, & ſi aliquando ſerio Pœnitentibus exprobrare commiſſa neceſſarium duxerint, manibus aut ſudariolo ſibi faciem, & os contegant, ne labiorum motum adſtantes callidi videant, & obſeruent. Quod ſi aliquando Pœnitentes abſquè abſolutione dimittere iudicauerint, hoc tali modo fiat, vt penitus non innoteſcat.

CAPVT V.

DOmi hoc Sacramentum niſi infirmitatis cauſa non miniſtretur, ſed in Eccleſia in ſede confeſſionali, quæ in patenti loco ponenda erit, non ante ſolis ortum, nec poſt eius occaſum.

Et ſi ægrotantis mulieris confeſſionem excipere confeſſario conueniat, ianua cubiculi ita patens ſit, vt in quantum fieri poteſt, tàm Pœnitens, quàm Confeſſarius benè conſpici poſſit, non audiri. Fidem collati Sacramenti Confeſſarius derelinquat in ægrotantis domo, ad hoc vt poſſit Parochus ad alia Sacramenta tutò miniſtranda deuenire.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VI.

STudeant Parochi de partibus eſſentialibus, & integralibus Sacramenti Pœnitentiæ Populos inſtruere, moneantquè illos, quod Sacramentalem Confeſsionem ex obligatione peragere quolibet anno tenentur, licet Quadrageſimali tempore bene conueniat, cum dies dicantur pœnitentiæ, vltra tempus tamen Paſchale non licet differre. Prudentes ſint in interrogandis pueris, & puellis, ne potiùs cum è cordibus peccata elicere curent, in illis inſtruant.

Sint diſcreti in pænitentijs iniungendis, cuiuſcumque ætatis, & ſexus habeant rationem, pœnitentias in pecunijs erogandis non imponant niſi de neceſsitate, nec minus exigant, nec etiam à ſpontè dantibus pro Miſsis celebrandis pro pœnitentia impoſitis pecuniam recipiant; Directè vel indirectè munuſcula, aut quidquam minimum petere, exigere, aut acceptare talis Sacramenti occaſione non præſumant; contrafacientes ab audiendis confeſsionibus ſint ipſo facto ſuſpenſi.

Quod ſi caſus in quo eſſet aliqua facienda reſtitutio, & ignorentur domini, eo quod ſint incerti, tunc confeſſarij de pecunijs aut alijs rebus reſtituendis arbitrio ſuo vltra aureum, Nobis inconſultis, diſponere non valeant ſub eadem pœna.

CAPVT VII.

ALienum occupantes, legata pia non ſoluentes, publici peccatores, falſum teſtimonium in iudicio deponentes, coniuges ſeorſum habitantes, monitorijs pro deperditis rebus obedire non curantes, niſi reſtituerint, perſoluerint, reſipuerint, dictum reuocauerint, conuixerint, reuelauerint non abſoluantur, & quatenus hæc tunc temporis adimplere non poſſint remedio vtantur prudentes confeſſarij ſibi benè viſo.

CAPVT VIII.

ENormitatibus extirpandis Summi Pontifices ſedulo vigilantes ſeueriſſimas pœnas per Apoſtolicas ſanctiones delinquentibus comminati ſunt; Meminerint ergo omnes con-

confeſſarij quibus pœnis obnoxij ſint, ſi, quod abſit, Sacramento Pœnitentiæ ad turpia peragenda vtantur ſollicitando pœnitentes ad inhoneſta in actu confeſſionis, ante, vel poſt, aut in loco ad confeſſiones excipiendas deſtinato. Obſeruent ſæpè, immò ſæpiſſimè Bullam Sanctæ Memoriæ Gregorij Papæ XV. contra ſollicitantes, & contremiſcant. Pœnitentes ſollicitatos à confeſſarijs ad reuelandos, & accuſandos confeſſarios ſollicitantes obligent iuxta illius tenorem, vt videre erit in calce, vt tàm abominabilis peſtis ab orbe penitus repellatur.

CAPVT IX.

AD Præsbiteratus Ordinem non promotus, ſi Sacramentales Confeſſiones excipere temerè auſus fuerit pœnas luet in Conſtitutionibus Clementis VIII. & Vrbani VIII. impoſitas.

Et quia ore proprio eſt facienda cōfeſſio ſciant omnes per nuncium, aut litteras abſenti confeſſario peccata confiteri non poſſe, nec eo modo abſolutionem impertiri, aliàs excommunicationis ſententiam ipſo facto, & Summo Romano Pontifici reſeruatam incurrent, quemadmodum hæc practicantes, alijq; hanc falſam doctrinam defendentes.

CAPVT X.

IN qualibet Sede Confeſſionali ad ſit coram Pœnitente aliqua Imago Chriſti Crucifixi, aut alicuius Sancti, & in parte interiori confeſſarium verſus adſit Bulla in die Cęnæ Domini legi ſolita, & notula caſuum Nobis reſeruatorum.

Nemo audeat Pœnitentes abſoluere à caſibus Sanctæ Sedi, & Nobis reſeruatis quouis ſub prætextu, niſi in mortis articulo ſub pœnis à Sacris Canonibus, & Concilijs impoſitis, alijſque corporalibus arbitrio noſtro irrogandis.

Præ manibus habeant Confeſſarij Sacrum Concilium Tridentinum, Rituale Romanum, Cathechiſmum, & vnum ex approbatis Auctoribus, vt caſibus in confeſſionis occaſione occurrentibus reſpondere liberè, & doctè poſſint.

Caſus reſeruati in calce erunt apponendi.

TITV-

TITVLVS VIII.

De Sacramento Ordinis.

CAPVT I.

ECCLESIASTICÆ Militiæ nomen daturi attentè conſiderent quale vitæ genus eligere intendunt, nam miniſterio altaris deſeruire, aut in illo miniſtrare, non cuique datum eſt, ſed ei qui à Domino vocatus à ſæcularibus curis expeditus in puritate cordis, & ſimplicitate illi perpetuò præſtare intendit famulatum, ne qui hodie altari ſeruit, cras inter illecebras ſæculi in comeſſationibus, & ebrietatibus videatur.

Et quoniam Sæcularis Militiæ plures recenſentur gradus, ita, & Eccleſiaſticæ, cum pro diuerſitate Officiorum varij conſtituantur Ordines, qui ſeptem in Eccleſia numerantur, quatuor ſcilicet minores, tres autem maiores, & ſacri, ſecluſa prima tonſura, quæ licet ea initiatum à iuriſdictione laica faciat exemptum, & beneficij capacem, Ordo tamen non eſt, ſed præparatio ad Ordines, quaſi tyrocinium conſtitutum ad probandos eos, qui ad altiores Ordines ſunt promouendi; Verùm quia per ſæpè contingit lupos ouina pelle veſtiri, hac noſtra conſtitutione ſancimus neminem ad Clericalem Tonſuram, & Ordines eſſe promouendum, niſi priùs per Parochos promouendi ter inter Miſſarum ſolemnia propoſito deſiderio de eius habilitate, fide, & integritate ab his qui foris ſunt, bonum habeatur teſtimonium, ſibique hoc vitæ genus elegiſſe non animo effugiendi laicale iudicium, non lucri gratia, non cupiditatis, & ambitionis æſtu, ſed animo ſoli Deo omnium bonorum largitori optimo obſequendi.

CAPVT II.

PRomouendi ſciant præter quam à Nobis, Nobis inſcijs à nullo alio Epiſcopo eſſe ordinandos, quod ſi huic Decreto contrafecerint ſuſpenſi eo ipſo ab Ordinum executione remaneant, & ſi in talibus ſe ſe exercuerint irregulari-

Digitized by Google

tatem incurrent, & aliјs noſtro arbitrio pœnis punientur.

Clericali tonſura initiati, ac ordinibus inſigniti, ſi in Ciuitate fuerint, Cathedralis, ſi autem in Diœceſi Parochialis ſeruitio ſint adſtricti Dominicis ſaltem diebus, & ad altiores Ordines conſcendere eis minimè erit permiſſum, niſi de tali præſtito ſeruitio in Cancellaria noſtra Epiſcopali legitimè conſtiterit.

Et ne, qui in ſacris ſeruitio Eccleſiæ ſunt adſciti, quique Eccleſiaſtica Sacramenta Populo miniſtrant cum Ordinis dedecore mendicare coacti ſint, Sacro Concilio Tridentino inhęrentes, ſtatuimus, & ordinamus ad Ordinem Sacrum non eſſe admittendum eum, qui ſufficientem titulum Patrimonij, Beneficij, vel Penſionis non habeat non minus Scutorum triginta annui redditus detractis expenſis, & quæ liberè abſque litigio, & fraude, ac fictione poſſideat, teneat, habeatque, ſtrictè præcipientes, quod inſtrumenta ſuper his conficienda non niſi coram Vicario noſtro Generali, & per Cancellarium Epiſcopalem ſtipulentur.

Monemus inſuper omnes à ficta Patrimonij aſſignatione, datione, vel donatione ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ quoad aſſignantes, vel fictè donantes, aut cum pacto de non petendo dantes, & ſub pœna ſuſpenſionis quoad ipſum ordinatum. Nullique liceat beneficium, bona, ac penſionem huiuſmodi ad quorum titulum quis fuerit ordinatus reſignare, vendere retrocedere, & transferre, niſi noſtram obtinuerit licentiam, & coram Nobis, quod aliundè habeat, vnde commodè viuere poſſit per ſcripturas publicas, & teſtes docuerit, ſub pœna nullitatis contractus, aliſq; arbitrio noſtro.

Et quoniam Miniſtros altaris ſanctitas, & cordis puritas ſumma decet, antequam ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promoueantur, generalem totius ante actæ vitæ confeſſionem præmittere teneantur, de qua fidem confeſſarij in Epiſcopali Cancellaria exhibeant cum alijs requiſitis.

CAPVT III.

AD Ordinem Sacerdotalem nemo erit impoſterum admittendus, niſi per atteſtationem docuerit frequentaſſe congregationem conſcientiæ caſuum à Nobis erectam.

Et vt quæ Ordinibus ſuſcipiendis impedimento ſunt innoteſcant, ſciant noſtræ Paſtorali curæ commiſſi ab ordinatione repelli.

Illegittimos.

Minores ætate ad Ordines ſingulos requiſita.

Rudes, & Illiteratos.

Neophitos.

Corpore vitiatos, Deformes, Paraliticos, Amentes, Freneticos, Areptitios, Leproſos, & cæteros huiuſmodi.

Seruos.

Bigamos.

Coniugatos.

Duellum committentes.

Iſtriones, & Mimos.

Excommunicatos, Interdictos, & Suſpenſos.

Apoſtatas, Hæreticos, ac de hæreſi ſuſpectos, eorumq; deſcendentes per lineam paternam vſq; ad ſecundum gradum, & per lineam maternam vſque ad primum.

Non Confirmatos.

Rebaptizantes, & Rebaptizatos ſcienter.

Solemniter Pęnitentes, qui adiunctam cum pœnitentia habeant infamiam.

Proferentes ſententiam ſanguinis, vel mutilationis, dummodo mors, vel mutilatio ſequatur, cæterique in talibus Iudicijs cooperantes.

Ære publico grauatos.

Ignotos, Peregrinos ſine litteris teſtimonialibus ſuorum Epiſcoporum.

Ebrios, Impudicos, Fornicatores publicos, & Concubinarios, & alios aliqua nota infamiæ notatos facti, vel Iuris.

CAPVT IV.

AD ordinationem quoque requiri certam ætatem docet Concilium Tridentinum, quare nemo erit ad Ordines admittendus, niſi in ea ætate fuerit quis conſtitutus, quæ neceſſariò in vno quoque Ordine requiritur.

Prima ergo Tonſura ante ſeptennium nemo eſt initiandus.

nouo In Minoribus Ordinibus ſuſcipiendis licet in Iure non ſit determinata ætas, tamen maior ætas ſeptennio hodie ſufficit

Ad Subdiaconatum nemo ante vigeſimum ſecundum, ad Diacona-

cona-

Digitized by Google

conatum ante vigeſimum tertium, & ad Præsbiteratum ante vigeſimum quintum annum erit aſſumendus.

Hortamur inſuper omnes Eccleſiaſtico caractere inſignitos, gradum, & dignitatem in omnibus ſeruare, grauitatem, & modeſtiam præſeferre, ſcientes ſe poſitos eſſe vti ſal in Populis, quorum exemplo quodammodo condiendi ſint laicorum mores, ne audiatur (quod abſit) ſal, cum infatuatum fuerit foras emiſſum eſſe pedibus inſanorum conterendum.

TITVLVS IX.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAPVT I.

IN extremis laborantes ex hoc ſæculo tranſituros Sacro Oleo liniendos Dominus noſter Ieſus Chriſtus iuſſit, vt ad euitandas diabolicas artes hoc Sacramento muniti felices tranſirent ad vitam. Confert plerumque hoc Sacramentum ad ſalutem non ſolùm animæ, quia peccatorum reliquias delet, ſed etiam corporis quatenus expediat, nam oratio Sacerdotis miniſtrantis hoc efficit mediante Vnctione.

Cum hoc Sacramentum gratiam conferat, neceſſe eſt, vt dum quis hoc recipit, à peccatis expiatus exiſtat, vel ſaltèm contritionis actu præmiſſo Sacerdotes ad ſe liniendum admittat, quòd ſi vi morbi ſit oppreſſus, dummodo anteà ſigna pœnitentiæ dederit, idque per vnius teſtis dictum conſtet, inungere non eſt prætermittendum.

Quinque ſenſuum partes ſunt inungendæ, ſcilicet Oculi, Aures, Manus, Nares, & Os, & hæc nominatim prolata forma verborum iuxta Rituale Rom. Per Iſtam &c. & quamuis renes, & pedes inungere laudabiliter ſit conſuetum, horum duorum tamen omiſſio non vitiat actum, nec peccatum inducit, ideoque non ſunt damnandi, qui ſolent ob decentiam tantùm in Religioſis, & fœminis eorumdem inunctionem omittere.

CAPVT II.

PArochi, qui Miniſtri ſunt huius Sacramenti ſciant morti proximos dari hoc Sacramentum, nec communi morbo, vel non grauiter laboranti validè confertur; verùm non eſt expectandum, quod Infirmus ſit ſenſibus deſtitutus, alias Parochus grauiter peccaret, & pœnis noſtro arbitrio, eſſet puniendus.

Poteſt quoque hoc Sacramentum reiterari, immo & debet in morbis diuturnis, & quoties eſt periculum nouum.

Et quamuis Sacerdotes huius Sacramenti miniſtri ſint, tamen Parocho tantum eſt reſeruata hæc iuriſdictio, ita vt ſi alius Sacerdos hoc miniſtret extra neceſſitatem non impetrata Parochi licentia grauiter peccet, & pœnis arbitrio noſtro ſit obnoxius.

Regularibus verò, & ſi hoc Sacrum Oleum retinere permittatur pro ſe ipſis, non licèt tamen hoc Sacramentum alijs miniſtrare, aliàs excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam non effugient.

Non miniſtretur hoc Sacramentum niſi ab indutis ſuperpelliceo, & ſtola neceſſitatis tempore ſecluſo, in quo etiam ſine miniſtro poſſe miniſtrari permittitur.

CAPVT III.

ASſeruetur hoc Sacrum Oleum in vaſe argenteo, vel ſtanneo cum bombice ſemper in Eccleſia, & in feneſtella cum inſcriptione apparente OLEVM INFIRMORVM nec ſit permiſſum Parochis illud domi retinere ſub prætextu, vt vocati poſſint expeditius accurrere.

Bombix ſeu ſtuppa, quæ in qualibet vniuſcuiuſque ſenſus vnctione noua adhibetur, in Eccleſia tantùm comburatur, & cinis in Sacrario reponatur.

Incapaces huius Sacramenti ſunt perpetuò amentes, & pueri ante rationis vſum, nam ſi capaces rationis ſint eis non denegatur.

Capaces reputantur, & ſunt Surdi, Muti, & Cæci etiam à natiuitate, qua propter propè organa ſenſuum poterunt inungi adueniente caſu.

TITVLVS X.

De Sacramento Matrimonij.

CAPVT I.

MATRIMONII Sacramentum ad prolem propagandam, & concupiſcentiæ remedium inſtitutum ſingulari dignum eſt reuerentia; hoc enim à primo humani generis Parente pronunciatum illis verbis. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, à Chriſto Domino in Eccleſia confirmatum, Sacramentorum vim habere, gratiamque conferre nos edocuit, iuſſitque contracto matrimonio viros adhærere vxoribus ſuis, vt ex eis vna caro ambo effecti perpetuam vitæ conſuetudinem vna ſimul retinerent. Quapropter nè huius Sacramenti vſus peruertatur, multa ſalubriter ſunt per Sacroſanctum Tridentinum Concilium ordinata. Nos verò vt noſtro Officio pro debito noſtro ſeruiamus, vniuerſo noſtrę Diœceſis Gregi noſtra hæc eſſe volumus documenta.

In Mare ætatem quatuordecim annorum; & in fœmina duodecim completorum ad Matrimonium contrahendum requiri.

Vt contrahentes Fidei rudimenta, & ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria ſciant, & libera voluntate contrahant.

Ne inter ipſos aliquo cognationis, vel affinitatis vinculo coniuncti ſint, & ideò caueant Parochi ad Matrimonij contractum præſentiam præſtare, niſi tribus præmiſſis denunciationibus tribus feſtiuis diebus de præcepto inter miſſarum ſolemnia, ad hoc, vt quæ ſunt impedimenta inter contrahentes, reuelentur.

Contrahentes ſi diuerſæ ſint Parochiæ à Parochis vtriuſque erunt denunciationes faciendę, ad quas nullatenus erit deueniendum ante receptum Sponſi, & Sponſæ conſenſum, de quo Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali conſtare opus erit, nec Matrimonium celebrandum erit niſi noſtra obtenta licentia, in qua de tribus habitis denunciationibus conſtabit, nullumque inter contrahentes detectum fuiſſe impedimentum.

Digitized by Google

CAPVT II.

NOn ſit permiſſum Sponſis de futuro inſimul cohabitare, vel conuerſare, ne, quod ſæpiſſimè accidit, ante contractum de præſenti carnaliter copulentur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ aliiſque pecuniariis pœnis arbitrio noſtro, in quas incurrent etiam Parentes, & conſanguinei, qui hoc permiſerint, quique ſponſorum curam quoquo modo habuerint; qua propter mandamus omnibus Parochis vt ſæpiſſimè inter Miſſarum ſolemnia hoc decretum vulgariter legant, ne poſſint Populi aliqua ignorantia excuſari.

Detecto impedimento inter contrahentes ſtrictiùs præmiſſa erunt obſeruanda, nam ſi copula inter ipſos interceſſerit medio tempore, cum à Sede Apoſtolica diſpenſatio expectetur, nouę diſpenſationis beneficio illos muniri opus erit.

Impedimenta detecta quamuis leuia ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem per Parochos deferantur, & in denunciationibus interim ſuperſedeatur, donec quod expedire viſum fuerit decernamus.

Moneantur à Parocho Sponſi, quod à peccatis expiati, & Sacra Communione refecti, & in Eccleſiam, & non aliò de mane, & non de ſero, niſi aliqua ſuadente cauſa à Nobis permiſſum fuerit, coram duobus vel tribus teſtibus, & Parocho; ſiue coram alio Sacerdote de proprij Parochi licentia contracturi accedant, nec eodem vltimæ denunciationis die Nobis inconſultis niſi ſequenti die Quadrageſima ſubſequatur, vel tempus Aduentus.

Factis denunciationibus ſi propter aliquam cauſam Matrimonium contrahendum adeò differri ſit neceſſe, vt bimeſtre dilabatur reiterentur illæ, nec abſque noſtra licentia Matrimonium contrahatur.

Quòd ſi factis denunciationibus ſponſalia reſcindi contigerit propter aliquam cauſam, totam hanc facti ſeriem Parochus in proprio libro notare non negligat, & acta hac de cauſa facta nemini in criminalibus vti permittat.

CAPVT III.

CAueant omnes, ne in Matrimoniis malitioſè vera impedimenta occultent, falſa confingant, ſub pœna ex-

A commu-

communicationis ipſo facto incurrendæ, quamue incurrent qui veneficijs, incantationibus, & ſimilibus Matrimonij vſum impedire ſtuduerint.

Si contracto Matrimonio impedimenta Parochus habuerit ſeparet Sponſos, Nobiſque denunciet, vt opportunè prouidere ſtudeamus.

CAPVT IV.

AD Matrimonia contrahenda non admittantur Vagi, Incogniti, Peregrini, aut Exteri, niſi teſtimoniales litteras de eorum libero ſtatu à proprijs Ordinarijs ſubſcriptas, & in Cancellaria noſtra recognitas ſecum habuerint, quamuis è vicina fuerint Diœceſi oriundi, ac etiam noti.

Vidui licet noti notorietate facti ad Matrimonia non admittantur, antequam ritè, & rectè in Cancellaria noſtra de obitu alteriùs coniugis conſtet.

Habeant Parochi librum in quo nomina, & cognomina contrahentium, & teſtium notare poſſint, cum appoſitione diei, loci contracti Matrimonij, ac dierum factarum denunciationum cum propria ſubſcriptione.

Non recipiantur dicta teſtium in matrimonialibus, niſi ſuper interrogatorijs per Sacram Congregationem vniuerſalis Inquiſitionis præſcriptis, nec in teſtes admittantur niſi qui cogniti Cancellario noſtro ſint, aut à Perſona nota fide digna apud noſtram Cancellariam approbentur.

CAPVT V.

STrictè præcipimus omnibus noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis Parochis, vt omni vigilantia, & diligentia ſcire curent an forenſes, & vagi, qui ſecum mulieres ducunt, cum ad eorum Parochiam aduenerint inter ipſos matrimoniali vinculo coniuncti ſint, an ſub ficta Matrimonij forma in ſtatu perditionis permaneant, quod ſi de hoc extremo ſuſpicari contigerit, nihilque certum de Matrimonio contracto repererint, id totum ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem referant, vt tàm pernicioſo morbo remedijs opportunis occurramus.

DE

TITVLVS XI.

De Doctrina Chriſtiana.

CAPVT I.

VNIVERSI noſtri Gregis ſaluti intenti in ijs potiſſimum, quæ ad puerorum educationem, & ad fidei ſcientiam ſunt neceſſaria propenſiùs incumbimus, ne audiamus contra Nos dicentem, Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. In hoc Deo adiuuante, quantùm in Nobis, eſt aſſiduam curam gerere volentes enixè præcipimus Parochis noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, quatenus hoc munus omni, qua decet diligentia, aſſiduitate, caritate adimpleant, & exequantur.

CAPVT II.

QVolibet die Dominico, & feſtiuo, poſt prandium, dato Campanæ ſigno conuocetur Populus ad Doctrinam Chriſtianam, & Parochus, ſiue eo impedito Capellanus rudimenta fidei adſtantibus, & maximè pueris voce clara, & alta, ac intelligibili idiomate edoceat per ſpatium vnius horæ ad minus poſt Campanæ ſonum: neceſſaria ad ſalutem proponat, & in cordibus, & mentibus imprimere conetur, ad hoc, vt quæ ad noſtram ſalutem neceſſariò conueniunt innoteſcant. Inobedientes vero Parochi arbitrio noſtro punientur. Et ſi neceſſitas ſuadeat Parochis Doctrinam Chriſtianam non poſſe exerceri poſt prandium, eo quia non aduenіant pueri, aut incommodum recipiat Populus ob diſtantiam ab Eccleſia, hoc exequatur de mane ante Miſſarum ſolemnia in Populi frequentia.

CAPVT III.

PArochorum cura ſit admonere parentes, vt filios ſuos ad Doctrinam Chriſtianam non ſolùm mittant, ſed etiam ſi fieri poteſt ijſdem aſſocientur, & qui admoniti ad Doctrinam Chriſtianam filios mittere neglexerint referantur

in

in notula Miniſtris Montium frumentariorum danda, ne beneficio ſubſidij frumentarij fruantur.

CAPVT IV.

SOcietates Doctrinæ Chriſtianæ, vbi non ſunt erigantur, & graues Perſonæ vtriuſque ſexus eligantur, quæ hoc tàm Sanctum, & pium opus dirigant.

Clerici quoque in proprijs Parochijs ad Doctrinam Chriſtianam exercendam conueniant, ſcientes quod ad altiores gradus aſcendere eis minimè permittetur, niſi fidem de tali exercitatione habuerint.

CAPVT V.

PRo Patrinis non erùnt admittendi, qui Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, & Symbolum Fidei ignorauerint.

Et vt ſerio neceſſaria ad ſalutem edoceantur propè Eccleſias tempore Doctrinæ Chriſtianæ choreæ non ducantur, ludi non exerceantur, comeſtiones non fiant, & populares ſtrepitus repellantur.

Publicent quoque Parochi perſæpè inter Miſſarum ſolemnia Indulgentias docendi Chriſtianam Doctrinam munus explentibus per Summos Pontifices B. Pium V. Gregorium XIII. & Paulum V. conceſſas.

De Catholica Verbi Dei Prædicatione.

CAPVT I.

DORMIENTIBVS Cuſtodibus in medio tritici inimicum hominem ſuperſeminaſſe zizania, legimus in Euangelio; hoc monitum ad Epiſcopos cæteroſque curam animarum habentes pertinere nemo eſt qui ignorat, qui ſtrictiori vinculo detenti in Eccleſiæ campum aſſiduis laboribus, ac vigilijs Verbi Dei ſemen vigilando ſeminare tenentur. Vigilare itaq; illos oportet prædicationibus, & licèt aliquandò in hoc ſe exercere non poſſint alijs curis impediti, per alios tamen adimplere non deſinant iuxta Decretum Sacri Concil. Tridentini.

Sciant verò ad tale munus obeundum adſciti debere opportunè importunè obſecrare increpare, vitia corrigere in ſana Doctrina, hoc eſt diuina virtute moti, & Spiritu Sancto pleni, in cordis ſimplicitate, & modeſtia, & ea quæ in Euangelio ſunt exponenda, facilè exponant, non inanis eloquentiæ verbis ſublimia, & intellectu incomprehenſibilia pertractantes, non difficiles de Fide, de Trinitate, ac alijs quæſtiones proponentes, ſed planè, & accuratè ea tantùm, quæ ad ſalutem pertinent explicent, & edoceant.

CAPVT II.

NEminem redarguant in ſpecie concionatores, maximè Iuriſdictionem quoquo modo exercentes in Sacros Religioſorum Ordines non inuehantur. Antichriſtum certò tempore aduenire non aſſerant falſa miracula non enarrent ſub pœna excommunicationis S. Sedi reſeruatæ. Nec de Immaculata Conceptione B. Virginis aliter quàm per Summos Pontifices Alexandrum VII. & Clementem IX. ſancitum eſt in publicis aut priuatis colloquijs loquantur, ac diſputationem aliquam inducant. Sacram Scripturam non peruertant, nec eius dicta in vanum aſſumant, ſed

Digitized by Google

ſemper in eo ſenſu accipiant, quem S. Romana Eccleſia Apoſtolica tenet.

Indulgentiaſque publicare non audeant, nec alienam paupertatem pro eleemoſinis habendis Populo adſtanti commendent niſi de noſtro Ordine, aut de noſtri Vicarij Generalis licentia in ſcriptis danda.

CAPVT III.

Conciones haberi poſt ſolis occaſum omninò prohibemus, & ſi huic Decreto concionatores non paruerint pœnam ſuſpenſionis ab officio incurrant, & Parochi tali tempore concionari permittentes carceris pœna punientur.

Regulares verò in Eccleſijs noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, vel in illis, quæ ſuorum Ordinum ſunt concionari volentes conſtitutionem Clementis X. fæliciter regnantis adamuſſim obſeruent in calce ponendam.

CAPVT IV.

Communitatibus, alijſque, quibus nominandi concionatorem ius competit, tempus ad hoc exequendum vſque ad Octauam Epiphaniæ aſſignamus, quo tempore elapſo à Nobis erit electio, & deputatio facienda. Sciant inſuper hi in litteris patentibus non licere eoſdem concionatores deputare ſeù conſtituere, ſed tantùm nominare, & præſentare iuxta Decretum S. Congregationis in calce quoque apponendum.

CAPVT V.

Monialibus ſumma decet modeſtia concionari, hæ enim veluti ſpeculum maculantur alitu. Concionatores igitur illis concionantes intra fines verborum Euangelicæ prædicationis ſe contineant earum ſtatui conuenientes, ſed faciles quæſtiones inducant, ac moderato verborum luxu vtantur, vanas fabulas fugiant, ſacra exempla enarrent, vt in ſancta curioſitate auribus intentis, animoque pacato permaneant; Nec concionentur, niſi præſente earum confeſſario, & clauſis ianuis, & durante predicationis tempore à Monialium ſe abſtineant alloquio, & intra Eccleſiæ ambitum cibum non ſumant pœnis noſtro arbitrio infligẽdis.

TITVLVS XIII.

De Celebratione Miſſarum.

CAPVT I.

MAGNA dignitas Sacerdotum, quibus datum eſt verbo poſſe Chriſtum gignere, & ſic panem in Corpus, & vinum in Sanguinem immutare, quod ſi re vera hoc oculis fidei intuemur, & attendamus nulla maior prerogatiua in terris exiſtit. Videant ergo Sacerdotes qua decentia, qua humilitate, & reuerentia, qua animæ, & corporis puritate hoc peragant miniſterium, ne ſuæ dignitatis obliti in vacuum gratiam Dei accepiſſe videantur.

Antequam ad Altare celebraturi accedant diuinam opem implorent, vt ſacrificium de manibus ſuis acceptare dignetur diuina Maieſtas prò illis tàm viuis, quàm defunctis, pro quibus orare intendunt, & peractis omnibus in rubricis diſpoſitis, induti Sacerdotalibus veſtibus, graui inceſſu, capite erecto, oculis tamen demiſſis ád Altare accedant ſacrum factùri iuxta Miſſale Romanum, nullámque Miſſam celebrare audeant, niſi illas ab Eccleſia approbatas, & vniuerſæ Eccleſiæ conceſſas.

Studeant vt à fidelibus verba altè legenda explicitè intelligantur, breuitatem, quæ à grauitate non diſſonet in quantum fieri poteſt ament, & omnia attentè, deuotè, ac ſanctè peragant, quæ ad tàm inſigne ſacrificium pertinere videntur.

CAPVT II.

NEmo de recenti Ordine Sacerdotali inſignitus primam Miſſam celebrare audeat, antequam à Sacerdotibus à Nobis electis, & deputatis diligenter examinetur ſuper rubricis, & licentiam in ſcriptis à Nobis, vel Vicario noſtro Generali obtineat ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda.

Ex occaſione nouæ Miſſæ non liceat per Eccleſiam oblationes donaria, eleemoſinas, & ſimilia exigere, petere, & exquirere, nec choreæ hac occaſione ducantur, ſaltationes,

nes, & cantus, ſed inter parentes, & conſanguineos quemadmodum, & moderatas Menſas non prohibemus.

CAPVT III.

SAcerdotibus ex aliena Diœceſi ad hanc noſtram quauis occaſione accedentibus non permittatur celebrare, niſi litteras teſtimoniales proprij Ordinarij rectè recognitas, & à Vicario noſtro Generali ſubſcriptas habuerint; Si quis autem Sacriſta, ſiue aliùs quouis titulo nominetur illos admiſerit pœnas luet arbitrio noſtro.

In Eccleſijs Monialium tàm Nobis, quàm Regularibus ſubiectis celebrari prohibemus abſque noſtra licentia, vel noſtri Vicarij Generalis ſub pœna ſuſpenſionis, exceptis tamen celebrantibus diebus feſtiuis earumdem Eccleſiarum. Regularibus verò non alijs, quàm à ſuis ſuperioribus Miſſis, in Eccleſijs Monialium ſibi ſubiectis celebrari liceat, iuxta Decretum Sac. Congregationis Regularium de mandato piæ memoriæ Sixti V. emanatum, & ab Vrbano VIII. innouatum, ac ſub cenſuris in illo expreſſis.

CAPVT IV.

COnuenit, vt Miſſa cum Officio currenti illius diei conueniat; nec celebretur ante auroram, nec poſt meridiem; In nocte autem Sanctiſſimæ Natiuitatis Domini, niſi ſeptima pulſata noctis hora Miſſa non inchoetur, in reliquis obſeruentur rubricæ generales.

CAPVT V.

MIſſa Conuentualis in Cathedrali, & Collegiata quotidie celebretur, quamuis ex legato, voto, aut alia cauſa ad aliam Miſſam cantandam adſit obligatio, aliter inſeruientes diſtributiones non faciant ſuas ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum, non obſtante quauis contraria conſuetudine.

CAPVT VI.

EX mandato ſanctæ memoriæ B. Pij Papæ V. ſciant Sacerdotes omnes, tàm in die Aniuerſarij Coronationis Summi

Digitized by Google

mi Pontificis, quàm conſecrationis proprij Epiſcopi ad collectam in Miſſa apponendam teneri, aliòquin fructibus beneficiorum pro illa die priuantur.

CAPVT VII.

IN Miſſa nemo vtatur pileolo, niſi facultatem obtinuerit à Sede Apoſtolica, nec annulo, quamuis Canonicus, aut Prothonotarius ſit, de numero tamen non participantium; Candelis duabus non pluribus vtantur, quamuis ſit Vicarius Generalis, & paramenta ex altari nulli liceat ſumere, eſt enim hoc permiſſum ſolis Epiſcopis.

CAPVT VIII.

MIſſas Sancti Gregorij tàm pro viuis, quàm pro defunctis, de Patre Æterno, & quindecim auxiliatorum eſſe à Sacra Congregatione Rituum prohibitas omnes ſciant, permiſſas verò eſſe illas, quæ in numero triginta S. Gregorij Miſſæ apellantur.

CAPVT IX.

IN die Sabbati Sancti in Ciuitate ante ſonum Campanæ Cathedralis, & in alijs locis huius noſtræ Diœceſis, ante ſonum Campanæ Parochialis, ſeu Matricis nullæ aliæ pulſentur, nec etiam in Eccleſijs Regularium, aliàs contrafacientes ad formam Conſtitutionis Leonis X. punientur.

CAPVT X.

QVoniam compertum eſt aliquando per Officiales, & Miniſtros Eccleſiarum ex benignitate acceptari onera Miſſarum congrua non legata mercede, ita vt ſæpius opus fuerit ad Sanctiſſimum, eiuſq; Sacr. Congregationem Concilij recurſum habere pro illarum reductione; Ideò prohibemus omnibus quarumcumq; Eccleſiarum, & Confraternitatum, Rectoribus, Miniſtris, Prioribus, & Officialibus onera Miſſarum acceptare Nobis inconſultis, & competenti non legatà eleemoſina, declarantes Miſſas quotidianas perpetuas ad rationem Iulij vnius, & dimidij eſſe computandas.

Et

Et vt omnibus pateat onera deſignatis temporibus, & diebus adimpleri, in qualibet ſacriſtia affixa pendeat tabella in qua nomina defunctorum inſcribantur, Miſſarum numerus, & dies deſignati apparere poſſint, & celebrantes onera adimpleta dietim in libro ad hoc apto referant cum eorum ſubſcriptione.

CAPVT XI.

NEmo auſu tàm temerario Sacerdotali Ordine non inſignitus audeat tremendum Sacrificium Miſſæ celebrare, ſi hoc attentare præſumpſerit Curiæ ſæculari veniet tradendus, & pœna crimini debita plectendus.

CAPVT XII.

QVi in deſignato Altari, & certa die celebrare promiſerit mediante eleemoſina habita, ſciat in conſcientia tutum non eſſe, tenerique ad reſtitutionem ſi alibi, quàm in loco, & die deſignato ſacrificium peregerit.

CAPVT XIII.

NOſcant Parochi ſe poſitos eſſe aliorum commoditati, & ſeruitio, & hac de cauſa celebrare curent hora congruenti, & opportuna, vt Populus adeſſe poſſit, moneatque ex Altari teneri Dominos ſeruos mittere, & ancillas, immò compellere ad intereſſendum diebus feſtis Miſſæ ſacrificio.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XIV.

De Hæbreis, & Infidelibus eorumque conſortio vitando.

CAPVT I.

NVLLA datur conuentio Chriſti ad Belial, nulla eſt communicatio lucis ad tenebras; ideò ſciant omnes lumen veræ cognitionis tenere, vt ea quæ ſub ſpecie boni celant venenum mali, quod intrinſecus habent perfectè conſpiciant. Caueant igitur omnes à nimia familiaritate cum Hebræis; cum eorum aliquo vtriuſque ſexus ne bibant, nec manducent, eorumque choreas, ſaltationes, & comedias fugiant, & intra eorum ſepta non pernoctent pœnis corporalibus arbitrio noſtro infligendis.

CAPVT II.

HEbræi, vt dignoſcantur, flauum pileum deferre teneantur iuxta Bullam B. Pij V. ſub pœna aliàs impoſita Scutorum decem pro quolibet, & qualibet vice, & vt omnis tollatur occaſio mali quouis ſub prætextu non audeant extra proprium locum, vt vulgo dicitur (il Ghetto) pernoctare; immò neque poſt primam noctis horam permanere, quod ſi contrafacere Nobis notum fuerit, inobedientes pœnis debitis puniemus.

Dato Salutationis Angelicæ ſigno, tàm in meridie, quàm de ſerò, cum in vijs publicis reperiuntur, Hebræi, ſe abſcondant, ne irreuerentiæ ſigno apparente pietas fidelium labefactetur.

In Sinagogis organum non adhibeant. Ad Monialium monaſteria non accedant quouis ſub pretextu noſtra non obtenta licentia, ſeu noſtri Vicarij Generalis in ſcriptis danda. Diebus feſtiuis artem aliquam ſeruilem publicè non exerceant; & ſi medici ſint, ad Chriſtianos ægrotos inuiſendos, & medendos non accedant ſub pœna Scutorum decem vt ſupra; & ſi Chriſtiani ægroti Hebræos ad ſe venire permiſerint medendi cauſa, Sacramentorum perceptione

Digitized by Google

ne priuentur, & Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Contra Redemptorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, Beatiſſimam Virginem, alioſque Sanctos Dei fideles verbum quoduis ignominioſum caueant ne minimum quidem irreuerenter proferant, aut ſigno aliquo oſtentent ſub pœnis à San. Mem. Gregorio XIII. in ſua conſtitutione inflictis.

Meretricum quoque, & ſuſpectarum mulierum domos quouis quæſito colore non ingrediantur, nec eas ad earum domos, & apothecas accedentes recipiant, ſed ſi aliquem emptionis, aut venditionis contractum inire velint, id totum in ianuis publicis domorum agatur, & tractetur, & non intus, alias arbitrio noſtro erunt puniendi.

Commodo, quo emendi aquam à Chriſtianis vendere ſolitis vſi ſunt, vtantur adhuc, ita etiam opera mulierum Chriſtianarum in lauandis pannis, dummodò ipſi ad domos earumdem deferant, & inde per eoſdem aſportentur.

C A P V T III.

Quia non licet Chriſtianis obſequia præſtare Hebræis, nec aliquam ſeruitutem, omnibus noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis prohibemus, ne eiſdem ignem accendant die Sabbati, lignaue deferant; ne Chriſtiani Hebræos ad diſcendum Hebraicæ linguæ rudimenta conducant abſque noſtra licentia; ne Chriſtianæ mulieres infantes ad lactandum Hebræis tradere præſumant neque Hebræorum filios ad id recipiant; ne Notarij, aut aliæ publicæ Perſonæ Hebræos dominos, aut alio honoris inſigni titulo nominare præſumant verbo, vel ſcripto, in publico, aut priuato iuxta Conſtitutionem Pauli IV. per B. Pium V. confirmatam; ne Chriſtiani niſi pro mercatura cum Hæreticis, Anglis, Turcis, Schiſmaticis, aut ſimilibus Perſonis commercium habeant; ne cum iiſdem aliquis diſputare circa fidem, vel religionem audeat, niſi Doctor fuerit, aut Magiſter in Theologia, vel Iure Canonico, & bonam de eius vita, & moribus in Populo teneat exiſtimationem; ne ab eis libros, ſcripturas de aliqua ſcientia, & arte recipere Chriſtiani valeant quouis ſub prætextu, alias pœnis Sacrorum Canonum, ac Summorum Pontificum conſtitutionum ſubiectos ſe eſſe ſciant, præter eas per Nos arbitrio noſtro in caſu contingentiæ imponendas.

Digitized by Google

TITVLVS XV.

De Blaſphemia.

CAPVT I.

QVAM horrendum eſt, & deteſtabile vitium Blaſphemiæ ex ea enim ingrati animi apparet peruicacia, & eo deteſtabilior, nam cum homo præ cæteris animantibus dignior diuinorum ſit effectus, in hoc execrabile vitium proſiliens brutis ipſis ſit vilior. Curent ergo Parochi inter Miſſarum ſolemnia huius criminis explicare grauitatem, & pœnas per Summorum Pontificum Conſtitutiones comminatas promulgent, vt Deo Optimo Maximo, Creatori, Redemptori, & Saluatori noſtro debitum in omnibus præbeatur obſequium.

CAPVT II.

BLaſphemantes Dominum Ieſum Chriſtum, vel Deiparam Virginem efficiantur infames cæteraſque pœnas incurrant per Summos Pontifices Leonem X. Iulium III. & B. Pium V. impoſitas, ſicuti & hi qui alios ſanctos in cœlo regnantes blaſphemare non verentur.

Vt autem horum temeritas coerceatur, qui blaſphemare audierint reuelare teneantur, vt poſſint Indulgentias annorum decem lucrifacere. Nos verò non denunciantibus ſeuerum Dei iudicium reſeruamus.

TITV-

TITVLVS XVI.

De Magicis artibus, Veneficijs, Incantationibus, Sortilegijs, vaniſq; ſuperſtitionibus.

CAPVT I.

HOMINVM praua voluntas in malum prona facilè decipitur, nec mirum, nam quæ ab initio mundi omnium Parentes ambitione contraxerant, in poſteros translata noſcuntur; illi à callido ſerpente decepti Deos futuros eſſe ſperabant, iſti vti illorum iniquitatis hæredes Deos teneri deſiderant, quoniam verbis, incantationibus, orationibus, ſignis, & ſimilibus morbos ſanare, tempeſtates ſuſcitare, elementa commouere, & ſimilia agere credunt; Verùm oh quàm fallaces ſunt hominum mentes. In Euangelio dictum eſt habentibus fidem, ſi dicant monti tollere, & mittere in mare, & non hæſitauerint in corde ſuo quodcumque dixerint fiat, fiet eis; & tamen credentibus, quæ à Deo promiſſa ſunt homines faſtidiunt, & Diabolo aſſociantur, quaſi potentior ſit ſeruus Domino ſuo.

Vt ergo ex ignorantiæ, & cæcitatis errore animæ euellantur, rapianturque, curent Parochi omni conatu vanas has prauorum hominum verſutias explicare, vulpeculas has Vineam Domini demolientes increpare non deſinant, eorumque nomina, quatenus extra confeſſionem habuerint ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem deferant, vt omni ſuperſtitione ſublata, prauorum hominum arte depreſſa, Deo toto corde famulemur.

CAPVT II.

NEmo infirmitatibus curandis ſignis, verbis, incantationibus, menſurationibus, & præcipuè curationi pedicæ, aut eryſipilæ tàm frequenter auditæ deſeruiat. Nemo res perditas ſuperſtitioſè ſcire requirat. Nemo Sacræ Scripturæ verborum abuſus admittat. Omnes Magos, Sortilegos, Incantatores, Diuinatores, aut de his ſuſpectos

 euitent,

euitent , ſciantque talibus , eorumque opera vtentes pœnis in Conſtitutione Xiſti V. obnoxios eſſe , quarum conſtitutionum tenorem vulgari idiomate Parochi bis in Anno promulgent , vt innoteſcant ; quoſcumque verò nouerint non tantùm huiuſmodi artibus inſeruientes , verùm de his ſuſpectos Nobis , vel Vicario noſtro Generali deferre teneantur.

Maleficium maleficijs curandum non eſt , ſed in bono vincendum eſt malum , precibus videlicet Deo fuſis , aſſiduiſque ieiunijs , vt ſuperni Regis iuſta ira dimiſſa , maleficiati ad priſtinam valeant redire ſalutem.

TITVLVS XVII.

De Exorciſmis.

CAPVT I.

AD luctam cum Dæmone veniens veſtimenta abijciat , ne ſuccumbat , ita hortatur Auguſtinus terrena declarans eſſe veluti quædam corporis indumenta. Non deijcitur qui non habet vnde teneatur. Cautè ergò eſt Exorciſtæ officium , & prorſus abſque turpis lucri ſpe adimplendum , nec omnes ad hoc munus exequendum idonei reputantur, ſed hi ſolùm , quorum probata vita , laudabiles mores , fidei conſtantia propriæ idoneitatis præbeat teſtimonium.

Animaduertant verò , qui ad eiuſmodi officium deſtinantur adeò dignum ac ſanctum , ne vlla omnino ſpe ſeu mercedis , ſeu cuiuſpiam alterius lucri moueantur ad peragendum munus eiuſmodi miniſterij , & multò minùs nec minimum aliquid recipiant , quod ſpeciem habeat remunerationis pro ſuſceptis laboribus , quos nouerint eſſe ſibi ſuſcipiendos ex vno motiuo charitatis. Animaduertant inſuper dum exorcizant mulieres , ne ad illas approximentur pluſquam debita modeſtia requirat , & ab ijſdem vel manu ipſa tangendis abſtineant.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

NEmini liceat tàm Sæculari quàm Regulari Sacerdoti cuiuſcumque Ordinis, & conditionis exiſtat munus Ezorciſtæ exequi, qui à Nobis prius, vel à noſtro Vicario Generali in ſcriptis non habuerit licentiam, quique non obſeruauerit obſeſſi mores, vitam, & medicorum conſilia adhibuerit, & ſi præbenda ſit aliqua medicina horum ſolùm opera detur. In exorcizando non alias, quàm à Rituali Romano præſcriptas adhibeat Orationes; à Kalendis Maij vſque ad Kalendas Nouembris id non exequatur. In Eccleſia, & non alibi fiat, nec vno eodemque tempore plures ſimul exorcizet, nec ante ſolis ortum, nec poſt illius occaſum.

Quoad mulieres conſanguineorum adhibeatur preſentia; procul ſint tactus, & diuiniſſimo Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento muniatur Exorciſta, & exorcizandus quatenus hoc fieri poſſit, neque iſto Angelorum Pane vtendum eſt in exorcizando. Veritas ab ore patris mendacij non expectetur, & propterea vaniloquia ſunt euitanda, & curioſitates. De Reliquiarum veritate non interrogetur. Qui hæc omnia contra huius noſtræ ordinationis Decretum attentare præſumpſerit arbitrio noſtro pœnas luet.

CAPVT III.

BIs in anno diebus in Kalendario apponendis promulgent Parochi hoc Decretum vulgari Sermone, nempe nemini licere quamuis exempto exorcizare abſque noſtra, ſeu Vicarij noſtri Generalis licentia.

TITV-

TITVLVS XVIII.

De Sacris Reliquijs, & Imaginibus.

CAPVT I.

EXPEDIT maximè Chriſtiano Populo eos præcipuo honore venerari, quos caros Omnipotenti Deo in famulatu cognoſcit, nam ſic ratio poſtulat, vt mediatores illi apud eum pro Nobis in Cœlis exiſtant, quorum fideles in terris exequimur cultum; hac igitur ratione Sancta Apoſtolica Eccleſia Romana non ſolùm Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis, verùm etiam Sanctorum Omnium Reliquias venerandas eſſe docet, eorumque Imagines retinendas, adorandaſque aſſerit, quatenus in Cœlo regnantium, & quorum corpora veneramur in terris, imitemur virtutes, admiremur paſſiones.

CAPVT II.

NVllæ adorandæ proponantur alicuius Sancti Reliquiæ, niſi prius à Nobis fuerint recognitæ, nullaque Imago exponatur, niſi approbata, ne fidelis Populus decipiatur, & vnde deuotionem augeri cupimus, inde error retrahatur in Populis.

Reliquiarum vbique locorum huius Diœceſis exiſtentium, & quarum cuſtodiendi cauſa claues penes laicos exiſtunt, vna Parochialis Rectori perpetuò aſſeruanda tradatur, neminique liceat illas oſtendere, ac exponere, niſi cum Rectoris præſentia, aut alterius Sacerdotis ab illo deputati contrario vſu non obſtante.

Aſſeruentur in loco decenti, apto, ac perpolito, & ab humiditate libero in oſtenſorijs ſaltem ligneis, & deauratis cum notula nominis illius ſancti cuius corporis pars eſt.

CAPVT III.

REferat Parochus in libro nomina omnium Reliquiarum, quæ authenticæ, & recognitæ in propria Eccleſia, ſeu

Orato-

Digitized by Google

Oratorijs intra fines ſuæ Parochiæ aſſeruantur ; illumque, vel exemplar illius in Cancellaria noſtra infra Menſem à publicatione Synodi reponendum , & aſſeruandum tranſmittant , cum eius ſubſcriptione ſub pœna arbitrio noſtro imponenda.

CAPVT IV.

PRocul ſit turpis lucri quæſtus , cum Sacræ Reliquiæ oſtenduntur publicè , aut priuatim , numquàm extra propria oſtenſoria extrahantur. In ſolemnioribus tantùm diebus feſtis , aut in eorum feſtiuitatibus ſuper Altaria exponantur, ſi hoc conſuetum ſit , cum pluribus cereis accenſis , & thurificentur tàm dum exponuntur , quàm dum reponuntur.
In Proceſſionibus deferantur à Sacerdote pluuiali induto congrui coloris , præcedatque pluribus luminibus Clerus cum pſalmodia , & thuriferarius , qui illas thurificet.

CAPVT V.

FEſtum ſolemne cum officio duplici poterit celebrari in illa Eccleſia , vbi adeſt inſignis aliqua Reliquia alicuius Sancti , nempe Corpus , Brachium , Crus , aut ea pars in qua martirium paſſus eſt , dummodo integra ſit , non autem parua pars , & per Nos approbata aſſeruetur.

CAPVT VI.

LAici non audeant vllo vnquam tempore , & quouis ſub prætextu Sacras Reliquias tangere , etiam deuotionis cauſa , cum coronis , & ſimilibus , minuſque per ſe ipſos illas ad ægrotos deferre , ſed hoc ſit Sacerdotibus ſpecialiter reſeruatum. Eoſdem verò laicos monitos volumus , ne inſignes Reliquias , ſi quas habent , in proprijs domibus retineant , ſed ad Eccleſiam aliquam deferant , vbi nouerint cuſtodiendas decenti ornatu , & loco opportuno.
Nemini liceat partem aliquam licet paruam Sanctarum Reliquiarum ſubripere , ſibi quoquo modo appropriare , alienare , alteri donare , aut in parte , aut in toto Nobis inconſultis , in aliqua Eccleſia , ſeu Oratorio transferre ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

Digitized by Google

Laudabilem conſuetudinem in noſtra hac Cathedrali S. Cyriaci vigentem, quod inſignes Reliquiæ, ac toto orbe celebres in illa aſſeruatæ ſub duabus clauibus, vna penes Nos, altera penes DD. Operarios Eccleſiæ Populo oſtendantur ex alto ſuggeſtu, vbi exiſtunt ab vno ex Canonicis deputatis ad Reliquias ſuperpelliceo, ac pluuiali induto, duos habente hinc inde aſſiſtentes, cum chyrotecis, quorum alter intelligibili, & alta voce pronunciet nomina Reliquiarum in ſingulo quoque oſtenſorio aſſeruatarum, omnes in die Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, in Paſchate Reſurrectionis, in feſto S. Ciriaci, ac Omnium Sanctorum; illæ verò, quæ ad Paſſionem Domini tantùm pertinent in nocte Paraſceue approbamus, & ſummopere commendamus, mandantes ita in poſterum obſeruari.

Cum autem Sanctæ hæ Reliquiæ aduenientibus magnis Principibus, ac Nobilibus Perſonis, vt frequenter euenit, oſtendendæ ſint, hoc fiat ab vno ex iiſdem Canonicis Deputatis, vt ſupra, ſuperpelliceo, & ſtola induto, & chyrotecis, luminibus accenſis in loco vbi Reliquiæ aſſeruantur, vt vſque adhuc eſt ſeruatum. Laicis verò permiſſum non ſit eaſdem manibus tangere.

CAPVT VII.

NOn exponantur Reliquiæ in aliqua Eccleſia quamuis exempta, etiam ſi Regularium, quemadmodum nec etiam Imagines Nobis inconſultis, & in altaribus, quamuis à Nobis approbatæ fuerint, non apponantur, niſi benedictæ, aliàs tàm Rector, Prior, & qui Eccleſiæ curam gerit, & hæc fieri mandauerit arbitrariis à Nobis plectetur pœnis.

Simulacra ſacra tàm B. Virginis, quàm Angelorum, ac aliorum Sanctorum ita modeſtè ornata retineantur in Eccleſijs, vt pietatem, & ſanctitatem magis redoleant, quàm vanitatem, decet enim ſanctitudo.

Salutiferæ Crucis ſignum in locis maximè ſordidis, ac fœtidis, nec in ſolo pingantur; nec alicuius Sancti Imago apponatur, & quæ in his locis exiſtunt penitus tollantur, & deleantur, ſub pœnis arbitrio noſtro imponendis.

CA-

CAPVT VIII.

INſtruant Parochi diligenter Populos præcipuè rudes qua forma adorandæ ſint ſacræ Imagines, ne in his viſibilibus corporis oculis expoſitis totam eorum ponant ſpem, putentque illas propter ſe venerandas eſſe, neſcientes quòd talibus ita honor debetur, & reuerentia, quatenus ad prototypa configurata referuntur,

Hominum qui vel ſanctitatis, vel martirij fama ex hac vita migrauerunt, non pingantur Imagines, vel exprimantur cum radijs, ſplendoribus, & aureolis, aut aliquo ſanctitatem, aut martirium exprimente ſigno, nec in Eccleſijs tàm Sæcularium, quàm Regularium retineantur, illorumque ſepulcris tabellæ, votaque non apponantur, aut lumina accendantur, niſi prius à Summo Romano Pontifice Sancti, aut Beati declarati fuerint, eorumque martirium approbatum ex Conſtitutione Vrbani Papæ VIII.

Nemini liceat Sæculari, aut Regulari de alicuius prætenſa ſanctitate, aut miraculis informationes capere, ac teſtium depoſitiones etiam extraiudicialiter exquirere, quod ſi ſanctitatis alicuius, aut ab aliqua Imagine patrati miraculi fama ſuboriatur, Populique deuotio ex hoc retineri non poſſit, quin vota, & tabellæ apponantur, id totum ad noſtram notitiam deferri non prætermittatur, vt in tam arduo negotio quid faciendum ſit decernamus.

Pictorum audaciæ, ac temeritati occurrere volentes, qui propriæ ſalutis obliti, ſicuti luxuriæ deſeruiunt ſuæ ita alienæ ſunt cauſa damnationis, nam imagines; & picturas tali efformant, & pingunt in actu, & habitu, vt ad illicita, & inhoneſta iuuenes, ac incautos allicere videantur, hoc noſtro Decreto prohibemus omnibus non ſolùm has picturas, & imagines in hac noſtra Diœceſi pingere, verùm etiam pictas habere, retinere, transferre, & ſi quæ ſint pictas, ac translatas omnino, comburi mandamus, alias inobedientes ſeueriſſimè puniemus,

G TITV-

TITVLVS XIX.

De Feſtis Diebus.

CAPVT I.

LICET vnoquoque temporis momento ob collata innumerabilia beneficia Deum venerari, ac in diuinis laudibus illi concinere teneamur; in ipſo enim continuò mouemur, & ſumus, peculiari tamen clementia indultum eſt, vt homines ad propria commoda ſolliciti cæteros dies ad negotia expendant, feſtis tamen diebus ab operibus ſeruilibus ſe abſtinentes Deo vacent. At hominum inſania eo deuenit, quòd feſtiuos dies in illicitis comeſſationibus, & choreis inſumant, ſicque fit, vt ea quæ ad laudes Dei ſunt deſtinata ad illius offenſam conuertantur. Quare ne deſcendat ira Dei in filios paterna voce non admonitos conſtitutionem B. Pij Papæ V. ab omnibus obſeruandam ſtatuimus, ac Edictum à Nobis, & Anteceſſoribus noſtris emanatum de obſeruatione feſtorum obſeruari decernimus, & iubemus.

CAPVT II.

MEminerint omnes feſtis diebus à negotijs expediti orationibus vacare, Eccleſias inuiſere, & hoſpitalia, concionibus intereſſe, & ſimilia peragere, de his quoque inſtruant Parochi Populos, & ad confeſſiones his diebus, & ad Euchariſtiam ſumendam alliciant, ac tempus Quadrageſimale peculiari obſeruantia tranſeundum eſſe, ac peragendum, vt à peccatis abſoluti, ſicuti cum Chriſto in humilitate ſteterint conſepulti, ita cum eodem reſurgente reſurgere mereantur ad præmia.

A Dominica prima Aduentus vſque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum vſque ad Paſchatis octauam ſicuti nuptiarum ſolemnitates per Concilium Tridentinum, ita per Nos iiſdem temporibus choreas, & ſaltationes ducere, & cantus qui à vulgo (ſerenate) dicuntur fieri prohibemus, mandantes omnibus, vt illecebras commeſſationes, lu-

dos, ac ebrietates omnino euitent ſub pœnis à Nobis arbitrandis.

CAPVT III.

Ecclesiæ fores, in qua feſtiuitas aliqua celebratur ante ſolis ortum non aperiantur, nec ad illam pateat ingreſſus poſt eiuſdem occaſum, curentque Rectores, & hi, qui illius curam gerunt, vt ad altare, feſtiuo die durante duo ſaltem cerei ſemper ardeant.

Et ne feſtiui dies in hac Ciuitate, & in noſtra Diœceſi obſeruandi ignorentur eorum catalogus in calce operis erit apponendus, à Rectoribus autem in ſuis Eccleſijs inter Miſſarum ſolemnia erunt enunciandi, vt omnes ad eorum ſe præparent obſeruantiam.

TITVLVS XX.

De Indulgentijs.

CAPVT I.

COELESTIS Indulgentiarum theſauri diſpenſatio eſt à Chriſto Domino Eccleſiæ ſuæ ſponſæ collata, ad hoc vt fideles in ea militantes beato ſtipendio in laboribus ſuis reficiantur, nam hoc medio per Sacramentum Pœnitentiæ adimpleto opere præſcripto peccata delentur, & pœna remittitur, hinc patet quàm laudabilis ſit in Eccleſia harum Indulgentiarum vſus animabus maximè neceſſarius, quare ſicuti Sacroſanctum Oecumenicum Trident. Concilium eos damnauit, qui Indulgentias inutiles eſſe putant, illaſque concedendi in Eccleſia non ineſſe poteſtatem affirmant, ita Nos pariter talia ſentientes ab Eccleſia reijcimus, & anathematizamus.

CAPVT II.

NVlli quarumcumque Eccleſiarum Rectori, Plebano, Priori, Capellano, & Miniſtro ſiue Sæcularis ſit, ſiue Regularis Ordinis liceat, minuſque cuiuſuis laicorum Confraternitatis Gubernatori Indulgentiarum priuilegia, cartas, & breuia exponere, ac publicare, niſi prius à Nobis, ſeu à noſtro Vicario Generali adhibitis adhibendis examinentur, & approbentur, multò magis fictas promulgare non audeant, aut quoquo modo ſub Indulgentiarum prætextu animas decipere temerè præſumant priuilegiorum ſibi conceſſorum auctoritate ſuffulti; quod ſi hæc enormia delicta in animarum perniciem commiſiſſe compertum fuerit illos arbitraria pœna puniemus.

Abuſus, qui quoquo modo in Indulgentijs promulgandis irrepſerint, prorſus tolli præcipimus; & ſic nemo audeat Indulgentiarum priuilegia vnà cum capſulis pro colligendis eleemoſynis inter lumina exponere, nec huius occaſione auidos quæſtùs facere, ſed penes altaria exponantur, vt ab omnibus conſpici, & legi poſſint.

TITVLVS XXI.

De Sacroſanctis Eccleſijs.

CAPVT I.

DOMVS mea domus orationis eſt dicit Dominus, cuius zelans honorem facto flagello de funiculis ex templo figurante præſentes Eccleſias ementes, & vendentes Chriſtum eieciſſe conſtat in Euangelio. Ideo ab Eccleſijs procul ſæcularium negotiorum ſtrepitus eſſe debet; ad pueros aliter erudiendos quàm de Doctrina Chriſtiana non deputentur. In has nemò armatus ingrediatur, vaniloqui non permaneant, ſed in humilitate cordis ad orandum accedentibus pateat acceſſus, ſcientes Deum gratias diffundere in medio templi ſui.

In Eccleſijs nemini ſacris altaribus inniti, nec illis nimium appro-

approximari permittatur. Præ foribus earum nemo conſiſtat quouis ſub prætextu, ne ingredi volentes valeat impedire.

CAPVT II.

PRopè Eccleſias meretrices habitare omnino prohibemus, cantus ſaltationes, & choreas, ludoſque fieri, ita nec ſtabulum, aut tabernam retinere; quod etiam in cœmeterijs, & propè illa obſeruari mandamus. Ad earum valuas profanę non affigantur ſchedulæ, nec per eas deportentur merces, etiam occaſione breuioris itineris, & in illis pauperes mendicare tempore diuinorum Officiorum, & celebrationum Miſſarum, etiamſi Regularium fuerint Eccleſiæ, non permittantur.

CAPVT III.

OCcaſione dierum feſtorum dum altaria, Eccleſiæ, ac Oratoria exornantur, obſeruetur ne quid indecorum, aut inhoneſtum apponatur maximè in picturis, nec permittantur niſi quæ redoleant ſanctitatem, excitent deuotionem, earumque fores prima noctis hora omnino claudantur.

CAPVT IV.

PRiuata oratoria, quæ ex Apoſtolica benignitate conceduntur à Nobis viſitanda, ſint decenter inſtructa, & ornata, ac à domeſticis vſibus libera, & neceſſaria habeant ad Miſſæ ſacrificium, antequàm in illis celebrari ex noſtra licentia in ſcriptis danda permittatur. Tale autem priuilegium cum ſit perſonale, cum Perſona cui fuerit conceſſum extinguitur; nec aliquis obligationi audiendi ſacrum diebus feſtis ſatisfaciet, niſi neceſſario ſeruitio illius, cui tale indultum fuerit conceſſum ſit addictus. In his non celebretur die Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes; Annunciationis, & Aſſumptionis Beatæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Omnium Sanctorum. Quod ſi pro infirmis tale priuilegium concedatur, tunc etiam in his diebus adhuc celebrandum erit, cum impedimento durante duret indultum.

CA-

CAPVT V.

IN Oratorijs Confraternitatum non exerceantur functiones, quæ ad Parochiales pertinent, & propterea benedictiones Candelarum, Palmarum, & Cinerum, ac mulierum poſt partum non fiant; nec proceſſiones, & Sacramenta retineantur.

Non celebretur feria v. in Cœna Domini, ac Sabbati Sancti, aliaue non ſunt facienda, quæ circa Corpus Chriſti in Eccleſijs Parochialibus fieri conſueuerunt.

CAPVT VI.

ORatoria; quæ ſparſim in locis campeſtribus reperiuntur ædificata, clauipeſculo claudantur, ne bruta ingredi valeant, & in his, niſi fuerint decenter ornata, habeantque ad celebrandum neceſſaria, nemo impoſterum celebret ſub pœna ſuſpenſionis.

Vt autem decenti cultui diuino in Oratorijs conſulamus, non licebit erigi in futurum, niſi illis congrua dos fuerit aſſignata, ſaltem pro vna Miſſa qualibet hebdomada, ac pro candelis, alijſque neceſſarijs.

Altare portatile de vna ad aliam Eccleſiam, ſeu Oratorium abſque noſtra, ſeu Vicarij noſtri Generalis licentia non erit aſportandum, ſed in vno quoque altari ita fixum permaneat, vt inde amoueri non poſſit.

CAPVT VII.

ECcleſiarum, locorumque Sacrorum immunitati conſulentes, vt illa omnino illibata ſeruetur, pœnas in Conſtitutione Sanctæ Memoriæ Gregorij XIV. ad memoriam cuiuſcumque reuocamus. Quare non erunt ferendi, qui auſu temerario illam violare præſumpſerint. Omnes tamen ſciant præter publicos latrones, viarumque graſſatores, itinera frequentata, vel publicas vias obſidentes, viatoreſque ex inſidijs aggredientes, agrorum depopulatores, homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, earumque Cœmeterijs committere non verentes, proditoriè proximum ſuum occidentes, aſſaſſinos, reos hæreſis, ac leſæ Maieſtatis in Perſonam ipſius met Prin-

cipis,

cipis, ad Eccleſiam confugientes immunitate iuuari.

Quod ſi caſus euenerit etiam in præmiſſis quempiam ad Eccleſiam confugere, teneantur Rectores, illorumque locorum Gubernatores, & Miniſtri Nos certiores facere, ad hoc vt opportunè quod iuſtum fuerit decernamus, non enim ſunt eccleſiaſtica immunitate priuandi, niſi cauſa cognita id iudicatum fuerit.

Fraudolenter decocti, ac ære alieno grauati in locis immunibus, & Eccleſijs non recipiantur Nobis, vel Vicario noſtro inconſultis; Idque obſeruandum præcipimus ab omnibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus Rectoribus, Prioribus, Officialibus, & Miniſtris, vt extant literæ de mandato Sanctæ Memoriæ Clementis VIII. ab Eminentiſſimo Cardinali de Florentia, poſtea Leone XI. ad Archiepiſcopum Neapolitanum directæ in calce operis apponendæ.

CAPVT VIII.

Non ſit licitum Curiæ ſeculari abſque noſtra licentia, ex permiſſione tamen Sacræ Congregationis concedenda, occiſorum cadauera in Eccleſijs, & Cœmeterijs viſitare, minuſque exhumare, & ex locis immunibus extrahere; & extracta viſitare, & cognoſcere etiam conſentiente Parocho, vel Eccleſiarum Rectore, & Miniſtro.

Et ſi aliquod delictum in Eccleſia, vel Cœmeterio fuerit perpetratum, tunc Parochus, intra cuius Parochiæ fines exiſtit Eccleſia, & Cœmeterium prædictum, quamuis regularium ſit, & exemptorum, vel eius Capellanus, aut eiuſdem Eccleſiæ commiſſi homicidij Rector, & Gubernator Nos certiores facere teneatur ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

CAPVT IX.

IN Eccleſijs è domibus cohærentibus non adſint feneſtræ introſpicientes, & ſi quæ ſint claudantur, quamuis oratoria fuerint, aut cappellæ.

Nemini liceat Cappellas, aut Eccleſias ædificare, niſi prius à Nobis licentia concedatur, & congrua dote dotentur.

Eccleſiæ, & Cappellæ, ſi quæ ſint vetuſtate fatiſcentes, aut penitus collapſæ reparentur, & ſi reædificandi non adſit

ſpes,

ſpes, ad matrices transferantur Eccleſias, ſimulque beneficia illis forſan annexa, & quatenus iuriſpatronatus ſint, vocatis vocandis, vt ibi decenti cultu onera illis impoſita adimpleri poſſint, interim verò cæmenta, quæ ex collapſis eccleſijs remanſerunt, ad alios vſus non conuertantur Nobis inſcijs.

CAPVT X.

AD fugandas tempeſtates campanarum ſonus præcipuè ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine adhibetur, quibus etiam Populus ad diuina conuocari cognoſcimus. Statuimus propterea nemini licere ante noſtram benedictionem illas in ſacra turri eleuare, minuſque illarum ſonum ad ſacra adhibere quouis ſub prætextu.

Matutino, meridiano, & veſpertino tempore ſingulis diebus, & horis deſignatis, pro vt hùc vſque ſeruatum eſt, detur ſignum pro ſalutatione Angelica, ac pro defunctis.

Ante Eccleſiarum fores, & propè illas comeſtibilium venditores non conſiſtant, ſed longè morentur, nam quemadmodùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus columbas, quæ in ſacrificijs Deo immolabantur, ex templo deieciſſe legimus, ita nec vendi patitur prope domum ipſius, quæ ad templi vſum non videntur neceſſaria. Mandamus inſuper omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vt diebus feſtiuis, præſertim ante celebrationem diuinorum officiorum à ludis abſtineant, & multò magis ſi ſcandaloſi ſint, multoquè magis ſi propè Eccleſias fiant.

TITV-

TITVLVS XXII.

De Confraternitatibus Laicorum, & Hoſpitalibus.

CAPVT I.

QVONIAM legibus reguntur Populi, & ſine illis eſſe non licet, ita quælibet priuata hominum Societas legibus obtemperare non dedignetur, vt recto regimine gubernetur, ac magis in dies augeatur: quare omnibus Prioribus, Gubernatoribus, & Miniſtris cuiuſcumque Confraternitatis, & Societatis noſtræ Iuriſdictioni quomodolibet ſubiectis ſtatuendo præcipimus, vt quanto citius, immò infra vnius Menſis ſpatium poſt huius Synodi publicationem, quatenus id vſquè modo non fecerint pro ſua vnaquaque Confraternitate, & Societate leges, & ſtatuta, ac capitula obſeruandas, & obſeruanda ſibi elegere, & conficere, ac aſſumere omninò debeant, quæ poſtea à Nobis, quamuis ab Anteceſſoribus noſtris confirmata fuerint, confirmanda erunt; mandantes omnibus confratribus ſtatuta, leges, & capitula huiuſmodi, quæ propoſita erunt, aut ſunt, omnino obſeruari; Prioribus autem, Miniſtris, & Gubernatoribus inobedientes pœna impoſita in ſtatutis punire, alias tàm ipſi, quàm Confratres, qui tamquàm inobedientes reperti fuerint culpabiles à Nobis arbitraria pœna erunt puniendi, & quas pœnas Priores, Gubernatores, & Miniſtri ſolui à tranſgreſſoribus non curauerint, ſoluent ipſi, de quibus quoquè Officialibus ſucceſſoribus peculiariter rationem reddere teneantur.

CAPVT II.

AD Confraternitates admittendi non ſunt publici peccatores, concubinarij, vſurarij, & quauis infamiæ nota notati, quique rudimenta noſtræ legis neſciant, & ſpectatæ virtutis non ſint; pro illorum autem receptione, & admiſſione, nec quid minimum quouis ſub prætextu exigatur; ſed id totum, poſt quàm in præcedentibus congreſ-

ſibus fuerit diſcuſſum ad formam eorum ſtatutorum , legum , & capitulorum per ſecreta ſuffragia fiat . Ita quoque mandamus non admitti in confratres illos , nec pro Officialibus eligi , qui Confraternitatis , quamuis modicæ ſummæ , ſunt debitores , aut litem , & cauſam cum illa , in quam ingredi intendunt , Confraternitate habeant , niſi prius liti , & cauſæ ceſſerint , aut debitum perſoluerint, decernentes irritum , & inane quidquid contra huiuſmodi Decretum fuerit attentatum.

CAPVT III.

OPortet in omnibus , vt diuinus cultus augeatur , à probis Viris Confraternitates gubernari . Quare fraudibus occurrere volentes , & ipſarum Confraternitatum indemnitati conſulere , volumus facta electione Gubernatorum , & Officialium ſchedulam electorum ſtatim ad Nos tranſmitti , vt confirmationis , & conualidationis beneficium à Nobis valeant recipere , & obtinere . Sit autem cura ſic electorum , & confirmatorum Gubernatorum , & Officialium propriæ Confraternitatis mobilium , & immobilium , cenſuum , & quorumcumque prouentuum perpetuorum , ac eleemoſynarum inuentarium conficere , ac illud vnà cum propria ſubſcriptione Cancellario noſtro tradere , ac etiam Indulgentiarum exemplaria , quæ ab Apoſtolica Sede ex ſpeciali gratia obtinuerint , tranſmittere , vt in eadem noſtra Cancellaria valeant aſſeruari.

CAPVT IV.

PEcunia , & bona , quæ ad Confraternitates quomodocumque ſpectant , non à Gubernatoribus , ſed à Depoſitarijs tantum ſeruari iubemus , hi verò ad tale munus adſciſcantur , qui idonei fama reputentur , quique de bene adminiſtrando fideiuſſorem præſtiterint , teneanturque Depoſitarij ſingulis annis , ſi in Ciuitate fuerint non niſi coram Nobis , ſeu Vicario noſtro Generali , aut alio à Nobis deputando , & ſi in Diœceſi coram Vicario foraneo , cui ſubſunt , & præſente proprio Parocho rationem ſuæ adminiſtrationis recentioribus Officialibus , & Miniſtris reddere , & liberationem habere ; quod ſi debitores Con-

Confraternitatum reperti fuerint, infra Menſem debitum perſoluant, alias teneri volumus ad duplum, & inhabiles interim, & impoſterum ad quæcumque munia Confraternitatum abſque noſtra licentia exercenda reputentur.

CAPVT V.

VT fraudes quibus peculiari ſtudio prouidere ſtudemus in his præcipuè, quæ ad ſacras ædes pertinent, euitentur, hoc noſtro Decreto ſtrictè præcipiendo mandamus, capſulis, quæ pro colligendis piorum oblationibus in Eccleſijs etiam Regularium à Confraternitatibus exponuntur, duas claues apponi, quarum vna à Gubernatore, altera ab altero de confratribus electo detineatur, nec illas aperiri volumus niſi præſente Parocho, vel alio ab ipſo deputato, cui tamen onus incumbat repertam pecuniarum quantitatem adnotare, & notulam ſubſcribere, aliàs inobedientes erunt à Nobis ſeueriſſimè puniendi.

CAPVT VI.

NEmini liceat Confraternitates inſtituere abſque Sedis Apoſtolicæ, vel noſtra licentia in ſcriptis concedenda. Et vt ordo ſeruetur, ante quàm licentia impertiatur, eius pium examinandum erit inſtitutum, omniaque in his erigendis, vel erectis obſeruentur tùm, quæ per Bullam fel. record. Clementis Papæ VIII. de forma erigendi eiuſmodi Confraternitates præſcribuntur, tùm quæ in cap. 1. hoc eodem titulo diſponuntur.

CAPVT VII.

PErſæpe contingit quod occaſione feſtorum per Confraternitates conuiuia fiunt, idque cum pietati, & honeſtati ſummopere opponatur, & antiquarum ſuperſtitionum redoleat ritus, hæc omnino prohibendo decreuimus, pro vt hoc noſtro Decreto prohibita eſſe volumus, mandantes quoque, quod talia, nec etiam occaſione acceſſus ad Almam Domum Lauretanam præparentur, & fiant, ſi ſumptibus maximè Confraternitatis hæc peragantur, ſed ſi ex aliquo legato ad id confratres teneri dignoſcantur,

H 2 totum

Digitized by Google

totum ad noſtram notitiam erit deducendum ; aliàs tàm confratres , quàm ipſi Gubernatores , & Miniſtri de proprio pecuniarum ſummam Confraternitatis , quam conſumpſerint , perſoluent ; quibuſcumque non obſtantibus. Aduenientibus autem Sacerdotibus , & Miniſtris ad eorum Eccleſias , & Oratoria diebus feſtiuis , conuiuij vice iuſtam dabunt mercedem.

Confraternitates ferè omnes huius noſtræ Diœcéſis ex recollectis eleemoſynis tempore meſſis frumentarium montem habent ; qua propter pauperibus conciuibus ſuis illud accommodando eorumdem inopiæ ſubueniunt , idque fit noſtra præcedenti licentia aſſiſtente Parocho , ac Cancellario à Nobis deputato , cuius manu ſchedulæ conſcribuntur. Vt autem recto frumentariorum montis regimini conſulamus , quædam circa eorum adminiſtrationem ſtatuenda duximus , quæ vulgari idiomate in fine operis erunt apponenda . Curent ergo Confraternitatum Gubernatores , Priores , & Miniſtri ſtatuta ipſa in tabella ab omnibus inſpicienda in ſcholis apponere , vt illa videntes valeant ad vnguem opportuno tempore obſeruare.

Et quia Hoſpitalium indemnitati maximè conuenit , vt illorum negotia , à pijs , & prudentibus Viris pertractentur , & peculium ſincerè adminiſtretur , fiat electio Rectorum , & Gubernatorum , ſicuti magis in Domino videbitur expedire , omni prorſus poſtpoſito carnis affectu , aut odio. Miniſtri autem ſic electi munus ſuum omni diligentia adimpleant , ac redditioni rationum arbitrio noſtro , & quandocumque obnoxios ſe cognoſcant.

Nutricibus , quæ infantes ex poſitos ex Hoſpitali Orfanorum nutriendos habent in pecunia ſalarium detur , non autem in frumento , vino , aut leguminibus , id quoquè ſtatuimus in præſtationibus dotium pauperibus puellis , detur enim in pecunia non autem in comeſtibilibus , ſapit enim mercaturam.

CAPVT IX.

SAcerdotibus quorum dignitati æquum eſt , vt debita præſtetur reuerentia , nam cæteros ordinis præſtantia antecellunt ; ſi qui ſunt pro confratribus in Confraternitatibus adſcripti tàm in proceſſionibus , quàm in congreſſibus præcedentiam habeant , alias in illis nullatenus interſint.

TITV-

TITVLVS XXIII.

De Funeribus, & Exequijs, & Sepulturis.

CAPVT I.

CARORVM virorum hæc ſunt extrema beneuolentiæ ſigna, funeribus vita functorum memoriam peragere, & quaſi itinerantibus annunciare Vale. Hæc approbauere Maiores noſtri, approbamus, & Nos, pietati enim conuenit illos amore proſequi, quorum in vita experti ſumus affectum, illiſque opportunè iuuare, qui ſolatio Nobis eſſe deſtiterunt. At quia plerumque funera, quæ religionem redolere debent, vanitatem oſtentant, moderato hæc apparatu fieri iubemus, qua propter taxam in funeribus huc vſque obſeruatam hic apponi duximus.

TASSA,

O Prammatica per i Funerali, & Eſequie nella Città.

QVANDO il Capitolo della Cathedrale, ò della Collegiata ſarà inuitato, & andarà à i Morti.

Alle Dignità, & Priore di ciaſcun Capitolo ſi darà libre due di cera per ciaſcheduno.

Alli Canonici per ciaſcuno libre vna.

Alli Capellani, Benefitiati, & altri Sacerdoti, etiam Maeſtro di Ceremonie, e Sagreſtani, che vadano ſotto la Croce della Cathedrale libra mezza.

Alli Chierici del Seminario, & altri, etiam à quello che portarà la Croce, once trè per ciaſcheduno.

Al Parochiano libra vna.

Al Chierico, che portarà la Croce, once trè.

Al Capellano della Santiſſima Annuntiata, libra vna.

Al Chierico, che portarà la Croce, once trè.

Alli Capellani del Santiſſimo Sacramento, per ciaſcuno once trè,

cie trè , fuor che alli due vltimi , alli quali ſi darà mezza libra per ciaſcuno.

Alli Chierici ; etiam à quello , che quando non ci andarà il Capitolo della Cathedrale portarà la Croce , once trè per vno.

Alli Capellani di ciaſcheduna Compagnia ſe ſaranno vno , ò due mezza libra per ciaſcheduno , ſe ſaranno più di due , once trè per vno , & à niuno di eſſi ſia lecito portar la ſtola.

Alli Regolari di qual ſi voglia Religione , once trè per ciaſcuno fuor che alli due vltimi alli quali ſi darà mezza libra per vno.

Et quando verrà il caſo di Mortorij ſolenni , cioè che gli Heredi chiamino indifferentemente tutto il Clero volendoui andare alcun Curato , ordiniamo che vadi con la ſtola ſotto la Croce della Cathedrale nel luoco ſolito delle proceſſioni doue vada ancho il Parochiano del defonto ; il quale in quell'atto , ancorche foſſe Regolare , habbia la precedenza da tutti gl'altri Curati , & ciaſcuno habbia vna libra di cera.

All'Arciconfraternità di S. Girolamo torce quattro di libre due l'vna ; & falcole due di oncie ſei l'vna.

A ciaſcun altra Compagnia due torce , e due falcole del peſo come ſopra.

Et di più à ciaſcuna delle medeſime Compagnie vn mazzo di candele minute da diſtribuirſi trà i Fratelli , che v'interueranno , & d'accenderſi in fine dell'Offitio , ò Eſequie nel dir il Miſerere , & altre Orationi fin che il Cadauero ſi ſepelliſca.

Al Maſſarolo libra mezza di cera , & vn carlino per ſua mercede.

Gli auanzi , ò rimaſti delle torce , ò candele di qual ſi voglia ſorte , che haueranno ſeruito al Cadauero in Caſa , ò in Chieſa ſaranno tutti della Parochia ſenza alcuna diminutione.

Delle torce , che ſi accenderanno per accompagnar il Cadauero alla ſepoltura , la metà reſtarà alla Chieſa doue ſi ſepelirà il morto , & l'altra metà ſi diuiderà trà il Parochiano , e l'Oſpitale dell'Annuntiata. Eccetto però quando il morto andarà ſepellito alla Cathedrale , nel qual caſo la quarta che douea pigliare l'Oſpitale , và alla menſa Epiſcopale.

Ordi-

Ordinando, & eſpreſſamente commandando, che niuno di qual ſi voglia ſtato, grado, ò conditione ardiſca di portare più di otto torce di libre otto per ciaſcuna, ſotto pena di Scudi venticinque da incorrerſi ipſo fatto, & d'applicarſi à luochi pij à noſtro arbitrio.

Sotto la medema pena ſi prohibiſce ancora l'ergere catafalchi, ò altre machine ſenza licenza noſtra, ò del noſtro Vicario, volendo che non ſi poſſa far altro che ſtendere vna coltra, ò panno nero in terra, con altre quattro torce al più di peſo di libre otto per ciaſcuna, & gli rimaſti di eſſe reſtino tutte alle Chieſe doue il Cadauero ſi ſepelliſce.

Et nell'iſteſſo modo ſi proceda qualunque volta ſi farà la ſettima, reſtando tutti gl'arſicci alla Chieſa doue ſi farà.

Eccettuando però da queſt'ordine gl'Heredi di coloro che moriranno Antiani, ò Regolatori, e tutti Foraſtieri à quali permettiamo di far tutta quella ſpeſa che ad eſſi parerà, così nel mortorio come nella ſettima.

Dichiarando non eſſer di noſtra intentione con la preſente taſſa, ò prammatica obligar alcuno herede à dar tutta la quantità della Cera eſpreſſa, mà ſolo di rimediare all'ecceſſo, & però ſe alcuno vorrà dar manco cera, vogliamo che li ſia lecito pur che ne auuiſi anticipatamente il Maſſarolo, il quale ſia obligato nell'inuitar i Cleri, e Compagnie notificar loro la cera che haueranno da hauere.

Al Parochiano però, all'Oſpitale dell'Annuntiata, & al Maſſarolo intendiamo, che ſi habbia da dar ſempre l'intiero conforme all'eſpreſſo nella taſſa.

Mà ſe alcuno foſſe così indiſcreto, che voleſſe dar tanta poca, che moſtraſſe vna certa impietà, ò irreligioſità, in tal caſo riſeruiamo à Noi, ò al noſtro Vicario l'autorità di farne dar quella quantità, che conſiderate le forze della heredità, & qualità del defonto, ſi giudicarà conuenire.

Venendo il caſo, che alcuno mora fuori della Parochia propria ſi determina, che ciaſcuna delle Parochie habbia da ſonar à morto, la quarta ſi debba ſpartir vgualmente frà tutti due, & tutti due li Parochiani parimente habbiano da interuenire al morto, & habbiano la ſolita cera.

Et facendoſi la ſettima ciaſcuno di eſſi ſimilmente habbino da interuenirui, & dir la Meſſa, & ſe gli dia per carità baiochi cinque, & oncie ſei di cera.

Et

A ciaſcun altro Sacerdote , che celebrarà nella ſettima per il defonto , ſi diano baiochi cinque , & once trè cera , eccetto il Sacerdote , che cantarà la Meſſa , al quale la candela ſi darà di mezza libra.

Al Maſſarolo mezza libra di cera , & vn carlino.

CAPVT II.

VT excitentur Fideles ad Orationes pro Defunctis , campanarum ſonus in eorum obitu adhibeatur , hæ tamen vltra dimidiam horam non pulſentur , cuiuſcumque ſtatus, & conditionis Defunctus exiſtat. Pro paruulis , ac baptiſmi lauacro lotis vita functis letitiæ ſonitu ſignum detur ; hi enim innocentiæ ſtola induti Agnum ſequuntur ſine macula.

CAPVT III.

DEfunctorum cadauera domi non retineantur vltra quatuor horas , ſed in Parochia , aut alia viciniori Eccleſia aſſeruentur , donec ad Eccleſiam , in qua ſepelienda erunt deferantur.

Sepulturæ non tradantur cadauera ante ſolis ortum , aut poſt eiuſdem occaſum Nobis inconſultis , & niſi poſt lapſum horæ duodecimæ ab obitu , quo ad prægnantes verò , & alio repentino morbo obeuntes , niſi poſt lapſum horæ vigeſimæ quartæ.

Paruuli , quibus fuit collatus baptiſmus in ſpeciali ſepultura ſepeliendi erunt , & Crux in eiſdem aſſociandis deferatur ſine haſta.

CAPVT IV.

NOn denegetur ſepultura Defunctorum cadaueribus quouis ſub prætextu , nec retardetur , redolet enim impietatem , maximè ſi ob pecuniarum intereſſe hoc fiat , ſed Parochi eorum obligationi prompto animo reſpondeant, nam poſtea abſque ſtrepitu iudicij , quod fuerit debitum eis perſolui curabimus.

Pauperes gratis ſunt ſepeliendi , & ab exteris obeuntibus non exigatur plus , quàm exigitur ab alijs de Parochia , æquitas enim ita ſuadet.

In tumulandis cadaueribus morientium ex infirmitate in publi-

blicis carceribus detur medietas quartæ funeralis, ac alia emolumenta Parocho S. Nicolai huius Ciuitatis, cui ſoli competit ius Sacramenta adminiſtrandi.

C A P V T V.

VOcati ad funus in Parochiali Eccleſia defuncti, aut in alia conueniant, è qua cadauer vſque ad ſepulturam aſſocient non autem expectent in via, nec ad domum defuncti accedant. Clerici, & alij ex Clero Sæculari ſuperpelliceo induti ſint, & biretum geſtent, niſi aliter neceſſitas pluuiæ ſuperuenientis ſuadeat. Talari veſte incedant ſub pœna amiſſionis ceræ aquiſitæ ipſo facto incurrenda, quam pœnam incurrent hi quoquè, qui vſque ad ſepulturam cadauer non aſſociant, quam ceram ex nunc Conuertitarum Monaſterio in vtroque caſu applicatam eſſe volumus. Hoc tamen decreto non intendimus ligare Parochos, alioſque Eccleſiaſticos rurales, quando à Parochiali, & oppido longius ire coacti ſint.

Defunctorum cadauera non efferantur è domo, aut alio è loco, vbi exiſtunt niſi præſente Parocho, quamuis ad Regularium Eccleſias ſint deferenda, hæ tamen recto tramite ad Eccleſiam vbi ſepelienda erunt, aſſocientur, & caſu quo ita propinqua ſit defunctorum domus Eccleſiæ, ad quam deferuntur, vt ordo comitantium dirigi non poſſit, tunc licitum erit aliquantulum progredi arbitrio prudentis Viri. Parochi autem, & Maſſarolus huic noſtræ Ordinationi non obtemperantes arbitraria pœna punientur.

Abortus, cui tamen aqua baptiſmi data fuit non deferatur ad Eccleſiam ſepeliendus, niſi præſente Parocho, & duabus candelis accenſis, aliàs Maſſarolus, qui contrafecerit, officio priuabitur.

Non adhibeatur in funeribus cantus muſicus vulgo dictus (canto figurato), ſed lugubri tono Pſalmi decantentur conſueti, neminique liceat vmquam, quamuis ex regularibus ſit, funeris occaſione orationem aliquam habere abſque noſtra ſpeciali licentia.

CAPVT VI.

NOn conſtruantur ſepulturæ in aliqua Eccleſia, niſi de noſtra licentia in ſcriptis danda, & iuxta formam traditam in Conſtitutione B. Pij V. quam obſeruari mandamus.

In Oratorijs Confraternitatum, ſi quæ ſint ab antiquo, pro Confratribus tantùm deſeruiant reſeruatis Iuribus Parocho.

Non efficiantur ſepulturæ prope Altaria, ſeu predellas, & ſi quæ ſint repleantur, nec in Altaribus celebretur donec alibi cadauera, & oſſa tranſportentur.

Sit ſepulcrorum oſtium in diſtantia trium cubitorum à predella, & ſepultura ipſa non ita ſit immediata ligneo ſcabello, vt illud immediatè tangat.

Si quæ modò ſunt ſuper terram cadauerum depoſita remoueri mandamus iuxta B. Pij V. Conſtitutionem, & impoſterum niſi ſubtus terram cadauera reponantur.

CAPVT VII.

NOn eſt adhibenda fides Religioſo aſſerenti quod per infirmum fuerit electa ſepultura in ſui Ordinis Eccleſia, niſi id legitimè per dicta teſtium conſtiterit, prohibentes omnibus Eccleſiaſticis, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, ne iuxta Bonifacij VIII. & Clementis V. Conſtitutiones audeant ægrotos ad electionem ſepulturę in ſuis Eccleſijs inducere, quamue electam ſub voto de non immutando illos adſtringere, aliàs excommunicationem latæ ſententiæ non effugient, ſed interrogetur infirmus in genere, in qua voluerit Eccleſia ſepeliri.

Quamuis electio ſepulturæ vnicuique liberæ voluntatis ſit in Regularium etiam Eccleſijs, dummodo id non ſit vetitum, non poteſt tamen propter hoc Parocho circa quartam funeralem præiudicium aliquod inferri, & ideò debet eidem illa reſeruari; licitum verò non erit Regularibus, alijſque ob talem ſepulturæ electionem Parocho neſciente mortuorum cadauera è domo efferre, nec etiam illo irrequiſito ſepelire.

Defunctorum nomina notentur in libro cum adminiculis, vt in forma notandi mortuorum nomina videre eſt in fine operis apponenda.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XXIV.

De Parochis eorumque Officio, & Reſidentia.

CAPVT I.

PAROCHI, quibus tamquam Paſtoribus eſt propriæ Parochiæ Animarum cura demandata, vt diligenter eorum munus adimpleant cogitare non deſinant quòd pro his factus homo Deus, vt è faucibus æternæ mortis illa eriperet, ſanguinem ſuum effundere non eſt dedignatus, hinc illis relinquens exemplum, vt quemadmodùm ipſe fecit, ita & iſti faciant ne adueniente lupo propriæ vitæ parcant, ſed pro his animam ſuam ponant, & boni Paſtoris nomen ſemper retineant.

Ideo aſſidua præſentia in propria cura vnumquemque morari cupimus iuxta Bullam fel. record. Pij IV. ſuper reſidentia Prælatorum parochialium &c. nec ab illa abeſſe quauis vrgente neceſſitate vltra duos dies, & vnicam noctem, niſi de noſtra licentia, licet idoneum Sacerdotem pro Capellano à Nobis ad curam animarum approbatum obtinuerit, aliàs pœnam Iuliorum quinque pro quolibet die, quo abeſſe contigerit omnino perſoluet, quæ pœna ex nunc Conuertitarum Monaſterio huius noſtrę Ciuitatis vtilitati cedat, alijs tamen cenſuris, & pœnis preſertim à Sacr. Conc. Trid. contra non reſidentes, & à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis inflictis in ſuo robore permanentibus, vltra peccati mortalis reatum, à quo præter quàm à Nobis, à nemine niſi in mortis articulo abſolui poſſe prohibemus, niſi priùs pœnam prędictam perſoluerint.

Facultate autem præmiſſa extra curam permanendi per duos dies, & vnicam noctem non vtatur Parochus niſi neceſſaria vrgente cauſa, & duabus vicibus tantùm in quolibet Menſe, & hac facta obſeruatione, quod tunc temporis nemo in Parochia periculosè ægrotet, nam ſi aliquem obire contigerit Eccleſiaſticis Sacramentis non munitum eius abſentia cauſam prebente, tunc ſeueriſſimis pœnis arbitrio noſtro punietur.

Sicuti omnibus diebus Dominicis, & Feſtis quilibet Paro-

Digitized by Google

chus in propria Eccleſia celebrare tenetur ; & ea occaſione vigilias , & alios feſtiuos dies de præcepto obſeruandos enunciare , ita his diebus abeſſe à cura ei non permittitur, ſolet enim Populus his diebus frequentiori numero diuinis aſſiſtere , cum ab operibus ſeruilibus vacet , & id etiam obſeruandum iubemus toto tempore Aduentus , & Quadrageſimæ , vt fidelium confeſſiones excipere valeat , & ſic proprias oues agnoſcere .

C A P V T II.

VIcarij foranei attentè obſeruent , & diligenter inquirant , an Parochi eorum vicariæ ſubiecti reſideant iuxta præſcriptum Sacri Concil. Trident. & an abſint aliquando à curis in Synodi contrauentionem , qua in re ſi eos defeciſſe animaduerterint , certiores nos faciant , vt conſulamus de remedijs opportunis , alioquin oneramus conſcientiam illorum ſi hac in re deſides fuerint.

C A P V T III.

COmmoditati Populorum Parochi ſe poſitos eſſe cognoſcant , quare licet ad alienas Parochias feſtiuitatum , & exequiarum occaſione accedere non prohibeantur , ſciant tamen in ſua propria Eccleſia vnumquemque prius celebrare debere , aut de idoneo celebrante pro illo die Eccleſiæ propriæ prouidere , quolibet contrario vſu non obſtante , & hoc ſub pœna ſeueriſſima à Nobis arbitranda.

Occaſione prædicta feſtiuitatum , aut exequiarum comeſſationes , ebrietates , ludique publici non permittantur , ſed ea qua decet clericalem Ordinem modeſtià vtantur Parochi , alijque Sacerdotes , & Eccleſiaſtici Miniſtri ; quod ſi conuiuia fiant , hæc infra domeſticos parietes , ac moderatè exerceantur , illos tantùm laicos admittendo , quorum vita , & modeſtia nota , & laudabilis ſit. Ad menſam ſacra lectio adhibeatur , citharedis , alijſque ruſticæ muſicæ artis cultoribus (cantarini vulgo dicti , & improuiſatori) penitus excluſis , quos etiam ad Proceſſiones cum muſicis inſtrumentis admitti omnino prohibemus.

Ad menſam autem non accedant niſi præmiſſa benedictione, & in receſſu gratiarum actiones adhibeant , hoc enim exem-

Digitized by Google

exemplo inſtruuntur Populi, vt quos viderint Laici Eccleſiaſticos moderatè paſci diſcant reuereri.

CAPVT IV.

MVneris ſui partes vt Parochi adimpleant, conſiderare non deſinant, quòd ad eos præcipuè ſpectat greges ſuos verbo paſcere; quare monita ſalutis enunciare, & docere tenentur, vt ſi quæ ſint vitia emendare poſſint; idque tamen aſſequentur ſi omnibus Dominicis, & feſtis diebus breues allocutiones ad Populum habeant inter Miſſarum ſolemnia, ſicuti Sacroſancta Oecumenica Tridentina Synodus iubet, exponendo ſcilicet ea, quæ in Euangelio leguntur, quod ſi memoriter id facere non poſſint etiam legendo adimplere permittitur. Et veluti Sacramentorum adminiſtratio, & omnia Parochi munia ex iiſdem Parochorum manibus exquiruntur, ita per ipſos ſi legitimo impedimento non detineantur hæc adminiſtrare curabunt, ſin minus per Capellanos per Nos ſeu Vicarium noſtrum Generalem ad curam animarum, ac etiam ad prædicandum approbandos, ſcientes quòd pro tempore, quo id non adimpleuerint fructus beneficij non facient ſuos, illiſque frui tutò non poterunt, & pœnis à Nobis arbitrandis erunt obnoxij.

CAPVT V.

PRo Populo exorare, ac pro animabus ſibi commiſſis Parochi celebrare tenentur, vt ſic à peccatis ſolutis proſpera quoque ſuccedant, & Omnipotentis Dei illis ſuccurrat Miſericordia; quare Miſſas vltra Dominicos, & feſtiuos dies ter, aut bis in hebdomada, quatenus ex nulla obligatione teneantur ad frequentius celebrandum, celebrare tenentur hora opportuna, & Populo magis placita, & quoties celebrare contigerit in librum referant proprio caractere adnotando ſi ex obligatione, aut deuotione ſacrificium obtulerint. Diebus verò Aduentus, & Quadrageſimæ quolibet die hoſtias offerri in vnaquaque Parochiali deſideramus. Vbi verò plures Miſſæ habentur, vna in Aurora celebretur, commoditati illorum conſulendo, qui itineri, aut labori ſe tradunt.

Per

Digitized by Google

Per Diœceſim in Eccleſijs, aut Oratorijs Campeſtribus Dominicis diebus, & feſtis poſt Auroram non celebretur, niſi prius celebrauerit Parochus in Parochiali, aut ab eo aliter fieri, & expedire indicatum fuerit, is autem poſt duas horas ab ortu ſolis ſacrificium offerre non protrahat, nec vmquam ſermocinari aliquid omittat.

Celebraturus Dominicis diebus Parochialem Miſſam iuxta Rituale Romanum altare prius, ſe ipſum, ac populum aſpergat aqua luſtrali, quæ ſingulis octo diebus renouanda erit, nam aqua immunda vti non licet.

Vt defunctorum pietati, qui Eccleſijs, aut in totum, aut in partem bona ſua reliquerunt humana pietas, & caritas reſpondeat, obligationi adſtrictos volumus Parochos qualibet ſecunda feria cuiuslibet hebdomadæ feſto duplici, vel ſemiduplici non occurrente, aliàs ſequenti pro his ſacrificium offerendi cum abſolutione in cœmeterijs iuxta Rit. Rom. ij quoque Populos admoneant pro defunctis benefactoribus exorare.

CAPVT VI.

Animarum ſaluti aſſiduos, ac intentos noſtræ Diœceſis Parochos eſſe volumus, quapropter illis ſuaſum eſſe deſideramus, ne quis eorum incuria Sacramentis non munitus ex hac vita diſcedat, & ideo ægrotos perſæpè inuiſendo obſeruent, in quo periculo ſint, vt ſua ipſorum opera preſtò eſſe poſſint; ægrotos ad teſtandum hortentur, locaque pia commendent in genere tamen, & non in ſpecie, & pro ſe ipſis nihil penitus petant. Et ſicuti in ſupradictis inuigilare neceſſe eſt, ita pauperibus conſilio Parochi proſint, eos etiam eleemoſynis adiuuando, Patres enim pauperum ſunt, animarumque Paſtores.

CAPVT VII.

Exigit pietas, vt ea quæ ad diuinum cultum ſunt conſecrata, ac deſtinata nitore præfulgeant, id circò in Eccleſijs ſacra ſuppellex, linteamina, vaſa ſacra omni prorſus macula carere debent, vt inde talis arguatur puritas in anima, qualis extrinſeca exercetur in veſtibus.

Curent Parochi cum laicis nimia familiaritate non vti, ſed cum

cum illis omni decenti grauitate ita ſe gerant, vt meritò dici poſſint mediatores Dei, & hominum, Eccleſiæque Senatus, qua propter à vaniloquijs, ludis, comeſſationibus cum illis abſtinere hortamur.

In eorum Eccleſijs exorcizare non permittant, niſi exorcizanti à Nobis, vel à noſtro Vicario Generali conceſſam viderint licentiam.

CAPVT VIII.

VEnientibus Parochis ad Ciuitatem ab illa diſcedere non ſit permiſſum, niſi prius coram Nobis, ſeu noſtro Vicario Generali ſe præſentent, aliàs pœna arbitraria erunt puniendi, ad quam punitionem etiam per inquiſitionem deueniendum erit.

Memores ſint mandatorum Chriſti, qui Paſtoribus ante oues ire iuſſit, vt illorum veſtigia illæ ſequentes, ouile non deſerant, & ſic à lupis rapi non timeant, quare ita moribus, & vita Parochi ſe præſeferre curent, vt ad eorum amplexum ſuos omnes componant mores, dirigant greſſus.

CAPVT IX.

EXpedit maximè, vt animarum ſaluti facilius conſulamus ſcandala de medio populi tollere, ac penitus extinguere, quorum occaſione plurimi ſimplicitate detenti, aut in Dei ſeruitio tepeſcunt, aut perſæpe ab illo deficiunt. Nos ergo qui horrea cœleſtia electo tritico repleri cupimus, à palea illud ſecernere neceſſe habemus, ſicque à grege ſeparari corruptam pecudem, ne totum corrumpatur ouile. Propterea Parochorum curæ ſit fidelem Nobis animarum ſtatum quolibet anno tranſmittere, cum annotatione illorum, qui tempore Paſchali ſacra non ſint communione refecti, idque vltra Aſcenſionis feſtum non protrahant, aliàs ſeueriſſimè vti inobedientes punientur; decet enim illos, vel vti palmites fructiferos eſſe cum vite, vel vti inutiles cenſurarum igne comburi.

CAPVT X.

VT ordinatè omnia in Dei Eccleſia exiſtant, quinque libros per Parochos retineri volumus, Baptizatorum ſcilicet, Confirmatorum, Status animarum, Matrimoniorum, & Mortuorum, in quibus iuxta formulas in calce Synodi apponendas actus adnotare valeant in caſibus occurrentibus.

Populi noſtræ Diœceſis, quorum cura vniuerſa Nobis commiſſa eſt vt à proprijs Parochis in viam ſalutis dirigantur in quantùm poſſumus, pro viribus noſtris ſemper optamus, qua de cauſa Nos Diœceſim viſitantes per Parochos Cathechiſmum legi iuſſimus, vt facili methodo, quæ neceſſaria ad ſalutem ſunt in audientium mentibus imprimantur. Notulas quoque ſanctorum dedimus, vt quolibet Menſe peculiari vnius ſancti protectione gubernentur, id tamen ne facile obliuioni detur, ſtrictè præcipimus omnibus noſtræ iuriſdictioni ſubiectis Parochis, vt omni diligentia hoc munus ſibi ipſis à Nobis in viſitationibus iniunctum exequantur ſub grauiſſimis pœnis noſtro arbitrio imponendis.

Congruum eſt, & laudabile, vt ea, quæ ad diuinum cultum ordinata ſunt executioni demandentur; qua propter Parochorum curę ſit ſedulò obſeruare, dum dum exponitur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in forma quadraginta horarum per Confraternitates, ante illud duodecim candelæ ex cera alba continuo accenſæ permaneant, vt diximus in Titul. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Cap.3. idque in Ciuitate omnino exequi volumus, in Diœceſi verò vbi magis tenues ſunt, & exigui curarum, & Confraternitatum redditus, ne vltra vires grauari videantur, octo candelas ex cera alba accendi volumus, ac ita obſeruari mandamus.

AD TITV-

TITVLVS XXV.

De Decimis.

CAPVT I.

CVM multæ ſint Parochorum querelæ aduerſus non paucos, quorum aliqui conantur malis artibus fraudare Decimas iiſdem Iure Diuino competentes, alij non integrè ſoluere, alij retinere, aut quouis alio modo impedire, ne ab alijs ſoluantur: In primis nouerint hi tales excommunicationem latam à Sacr. Concil. Trident. contra eiuſmodi delinquentes, quibus preterea mandamus, ne prius abſoluantur, quàm integrè ſatisfecerint. Nos verò prędictæ conſtitutioni inhærentes, vt hoc Decretum in hac noſtra Ciuitate, & Diœceſi inuiolabiliter obſeruetur, hac noſtra Conſtitutione decernimus, ne in futurum quiſquam Parochus, Curatus, aut alius cuiuſuis Ordinis Regularis Confeſſarius abſoluere præſumat aliquem iſtorum, qui quouis modo debitas decimas in toto, vel in parte fraudauerint, niſi prius reali ſolutione totius debiti plenè, ac integrè ſatisfecerint, vel ſaltem concordauerint cum Parochis, aut cum alijs Eccleſiæ Miniſtris, quibus Decimæ debebantur.

Quod ſi aliquis Confeſſarius tranſgreſſor fuerit huius noſtræ Conſtitutionis, abſoluendo aliquem ſine noſtra peculiari licentia non prius ſecuta ſatisfactione, ſeu concordatione prædicta, volumus illum eſſe perpetuò inhabilem in hac noſtra Ciuitate, & Diœceſi ad audiendas Confeſſiones Sacramentales, contra ipſos verò delinquentes, quamuis ſic abſolutos procedi poſſe ad omnes pœnas, & cenſuras, ac ſi nullatenus abſoluti fuiſſent.

CAPVT II.

COnfeſſarij omnes preſertim rurales ſciant eſſe muneris ſui data occaſione pœnitentes interrogare præſertim Patres familias, eoſdèmque docere, quatenus opus fuerit de ſolutione decimarum prædicta, vt ſciant, ſi cæteroqui ignorarent,

Digitized by Google

rarent, illam eſſe materiam grauiſſimæ obligationis.

Ne verò decurſu temporis paulatim obliteretur memoria huius noſtri Synodalis Decreti, volumus, & mandamus, vt Parochi omnes ſtatutis diebus ſingulis annis præſertim Menſibus Auguſti, Septembris, & Octobris diebus feſtiuis infra Miſſarum celebrationem enuncient Populo vernacula lingua hanc noſtram Ordinationem, & Sac. Concil. Trid. Decretum de Decimis incipiens non ſunt ferendi. Quod etiam volumus ſummopere commendatum Concionatoribus noſtris, quos rogamus, vt non omittant populum erudire ſuper obligatione prædicta, arguere, & increpare cum opus fuerit, iuxta præceptum Apoſtolicum, argue, obſecra, increpa &c. in omni patientia, & doctrina.

CAPVT III.

TRanſactiones quaſcumque inter Vniuerſitates, & Parochos, quæ non ſint confirmatæ auctoritate Apoſtolica, vel ſecutæ de noſtra licentia, vel prædeceſſorum noſtrorum, declaramus nullius valoris, & omnino nullas.

CAPVT IV.

SI quis colat agros plures, prædia, poſſeſſiones, aut vineas, ſeu plurium Dominorum, ſeu domini eiuſdem, in quibus ſingulis erecta ſint domicilia, ab annis ſaltem decem retroactis habitari conſueta, quamuis ampliùs non habitentur, teneatur tamen ſoluere decimas ex omnibus, & ſingulis agris, prædijs, poſſeſſionibus, aut vineis, quas colit, quoniam ſic, & non aliter ſtatuendum cenſuimus, pro vt in præſenti decernimus, & ſeruari mandamus.

Dominis verò ſine noſtra licentia non liceat prędictas domos diruere, aut aliò transferre in præiudicium Eccleſiæ, & iuris aquiſiti, vt decimæ ſoluantur. Secus verò erit de colente plures agros, poſſeſſiones &c. in quibus omnibus numquam fuerint prædicta domicilia, ſi ſpectant ad eumdem cultorem, tunc enim volumus ſolum grauari ad vnam tantummodò decimam ſoluendam. Non propterea intendimus derogare conſuetudinibus in contrarium Eccleſię fauorabilibus, quæ in aliqua Parochia vigerent, quas nullatenus

nus volumus violari, immò omnino, ac integrè in ſuo vigore, & robore permanere.

CAPVT V.

RVdiores domunculas vulgo dictas, caſſinas ſtramentis ædificatas non intendimus ſubiacere huic noſtræ Conſtitutioni de ſolutione decimarum, niſi cum de facto habitantur; propterea licere dominis quocumque tempore erectas diruere, ſeu alio traducere, in quo caſu ceſſet obligatio decimarum, quæ ratione illarum ſoluebantur.

Pro componendis reliquis controuerſijs, ſi aliquæ ſuboriantur ex prætenſis conſuetudinibus, & conuentionibus in hac, vel illa Parochia, fieri mandamus particulares Congregationes coram Vicario noſtro Generali pro opportunitate locorum, & perſonarum conuocatis omnibus, quorum intereſt, vt quod æquum fuerit ſtatuamus. Quæ verò ſic ſtatuuntur volumus omnino impoſterum eſſe ab omnibus ſeruanda, & eamdem vim habitura, quam habent reliquæ noſtræ ordinationes Synodales.

TITVLVS XXVI.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

CAPVT I.

QVI vna cum ſtatu Clericali ſuſceperunt ſanctioris vitæ inſtitutum ſeu Sacerdotes, ſeu nondum tales rogamus omnes, vt diligenter animaduertant quanti interſit, vt reliquis omnibus præſint exemplo virtutum, probitate vitæ, habitu corporis, & grauitate ſermonis, nihil præſeferendo, quod non ſit ſanctum, & dignum veneratione, vt decet Dei Miniſtros, in quorum ſortem vocati ſunt per Chriſtum Dominum noſtrum.

Sacerdotes, qui nulla obligatione tenentur frequentius celebrare, nouerint reddituros eſſe rationem, & Deo, & Nobis damnandæ omnino ſocordiæ, niſi ſaltem omnibus

Digitized by Google

diebus Dominicis, & feſtis ſolemnioribus offerant Deo ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium. Idem monemus Clericos nondum Sacerdotes, niſi ad Sacram Communionem accedant primis Dominicis cuiuſcumque Menſis, & idem reliquos Clericos nondum idoneos ad huiuſmodi Sacramentum, niſi accedant ad Sacramentum pœnitentiæ peccata ſua confitendo ſemel ſaltem ſingulis Menſibus.

CAPVT II.

QVi ſunt adſcripti ſeruitio alicuius Eccleſiæ, ij præſertim, qui curam habent tradendæ doctrinæ Chriſtianæ, ſciant facturos eſſe rem gratiſſimam Deo, ſi peragere curent omni diligentia, quæ ſpectant ad exercitium tàm ſancti miniſterij.

Cum valde indecens ſit Clericum non incedere cum ſufficienti tonſura, & habitu clericali, qui delinquentes fuerint puniri oportet ad exemplum aliorum, qui verò ſemel aſſumptum ſponte dimiſerint habitum clericalem, ſpem omnem abijciant promouendi impoſterum ad ordines vlteriores.

CAPVT III.

QVia decet Clericos, præſertim qui ſunt in ſacris caſtitatem angelicam imitari, caueant ab omni etiam leui eiuſmodi criminis ſuſpicione. Ancillas quamuis ætate maturas, & graues pro domeſtica cura ſine noſtra licentia non recipiant, multo minus iuniores mulieres, quamuis coniunctas domi retineant. Abſtineant ab earum colloquijs, neque audeant accedere ad earumdem conuerſationes, vulgo feſtini, aut alias ſimilis generis conuentiones priuatas, ſeu publicas, & minus decentes ſtatum clericalem, & ſanctum quem profitentur.

CAPVT IV.

DIligentem operam impendant ſtudio caſuum conſcientiæ, quorum prælectionibus interſint præſertim publicis, quæ de mandato noſtro fiunt. Incedant talaribus veſtibus, neque breuioribus vtantur niſi itinerantes, aut ruri de-

ri degentes. Cum verò fuerint induti ſuperpelliceis, aut ſacris veſtibus præſertim ſacerdotalibus caueant plurimum, quod indecentiſſimum eſt, ne vtantur pileo, ſed tantùm clericali bireto.

CAPVT V.

MEminerint id, quod à Sacris Canonibus Clericis omnibus interdicitur, ne comam nutriant; Sacerdotes præterea curent ita barbam præcidere præſertim in labio ſuperiori, vt in ſumptione ſanguinis non exponant Sacramentum periculo irreuerentiæ. Sciant interdictas omnibus caligas, & tibialia coloris minus decentis, & congrui ſtatui clericali, quemadmodum quoduis indumentum, aut quemuis ornatum, quæ ſint propria elegantiæ ſæcularis, aut quæ præſeferant animi leuitatem.

Similiter intelligant Clerici non decere ſtatum vitæ ſanctiorem, quem profitentur, vt interſint comedijs, ioculationibus, haſtiludijs, alijſque profanis ſpectaculis, comeſſationibus, & conuiuijs præſertim nuptiarum; multo minus choreas ducere, perſonatos incedere, aut alia eiuſdem generis peragere; pœnis aliàs arbitrarijs à Nobis erunt plectendi.

CAPVT VI.

QVamuis verò relaxandi animi gratia permiſſum Clericis ſit in priuatis domibus clam interdum recreari ludis honeſtis, caueant omnino ne hoc idem præſtent in publico. Ab aleis verò, & taxillis meminerint eſſe Clericis interdictum à Sacra Congregatione, & Summorum Pontificum conſtitutionibus, vt non ſolum abſtineant, ſed nec ludentibus alijs ſpectatores interſint, in quibus omnibus ſi delinquentes, aut deſides fuerint, præter rationem, quam reddituri ſunt Omnipotenti Deo, curabimus etiam vt reddant Nobis debitis pœnis, quas vt arbitrarias Nobis reſeruamus.

CAPVT VII.

PRocul omnino Clerici ſint à cauponibus, & tabernis, niſi cum neceſſitas itineris cogit. A conſeſſu, & deambulationibus laicorum in publicis plateis, à confabulationibus

nibus mulierum, & multò magis ſi cum iiſdem conſidendum ſit, aut diſcumbendum penitus abſtineant. Si per noctem exeundum ſit domo, quod non niſi ex legitima cauſa, eaque vrgenti volumus eſſe licitum Clericis, ſecum deferant lumen.

Homicidas, exules, criminoſos, aut ſimiles contumaces, quemadmodum vitare oportet, ſic nullatenus patiantur flecti rationibus vllis ad illos occultandos in domibus proprijs, aut amicorum. Sine noſtra licentia caueant omnes, ne ſecum deferant cuiuſcumque generis arma, neque prætextu defenſionis, aut inculpatæ tutelæ. In venationibus, & aucupijs ne ſint immoderati, aut plus iuſto intemperantes; à clamoſis verò, aliiſque periculoſis, ne debita morum, aut corporis compoſitio diſſoluatur, omnino abſtineant.

CAPVT VIII.

Sine noſtra licentia in ſcriptis obtinenda nulli Clericorum in ſacris conſtituto, aut habenti Eccleſiaſticum beneficium licere volumus per ſe, vel per procuratorem coram Iudice laico conſiſtere, comparere, cauſam dicere, teſtimonium cuiuſcumque generis ferre, aut fideiuſſionem facere, tutelas ſuſcipere, pro hac vel illa cauſa promittere, aut his ſimilia, quemadmodum exercere ludi magiſtrum, aut obligare operam ſuam ſeruitio laicorum. Qui verò hanc licentiam habuerint monemus, & qua pollemus auctoritate iubemus, ne patiantur occupari miniſterijs vilioribus, quæ minus deceant dignitatem ordinis, tranſgreſſores verò, qui indignè patiuntur eatenus deprimi ſuſpenſionem à diuinis à Nobis declarandam volumus incurrere.

CAPVT IX.

A Negotijs ſæcularibus, quamuis conſanguineorum par eſt vt abſtineant omnino Clerici, & iuxta monitum Euangelij ſinant mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quod ſi neceſſitas cogat aliqua ſuſcipiendi, omni ſtudio caueant ab omni nota, omnique ſuſpicione negotiationis, aut mercaturæ, atque turpis lucri cupiditate.

Demùm animaduertant Clerici Sacerdotes præſertim crimina illa, quæ in ſæcularibus leuiora iudicantur multò grauiora

Digitized by Google

niora in illis fieri, & multa iure naturali ſtatus ſanctioris, quem profitentur eſſe illis interdicta, quæ ſæcularibus licent. Curent propterea, quæ de eorum vitæ honeſtate, aut morum integritatæ ſancire cenſuimus integrè, ac inuiolabiliter obſeruare, alioquin ſi inobedientes fuerint temerè delinquendo contra aliquam ex conſtitutionibus noſtris, præter pœnas in ijſdem decretis ſtabilitas, ſubibunt alias, quæ arbitratui noſtro reſeruamus pro menſura delicti, & qualitate perſonæ.

CAPVT X.

COnfeſſarijs, qui in hac Ciuitate huius noſtræ Diœceſis confeſſiones audiunt in publicis Eccleſijs, mandamus ne aliter ſedeant in earumdem confeſſionarijs, quàm cum veſte talari ſuper impoſito ſuperpelliceo, & ſtola, ex quo melius conſulitur grauitati ſanctiſſimi miniſterij.

CAPVT XI.

COntractus, in quibus Clericorum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Iudicis præſentia requiritur, & in quibus de bonis Eccleſiaſticis, aut ad alia loca pia pertinentibus tractatur, non niſi coram Vicario noſtro Generali celebrari permittantur, alias tàm ipſi noſtro arbitrio puniendi erunt, quam Notarij qui ſtipulauerint, & vltra alias pœnas noſtro arbitrio infligendas ſuſpenſionem ab Officio notariatus quoad forum Eccleſiaſticum incurrent, & contractus, & ſtipulationes nullæ erunt, & inualidæ ipſo facto.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XXVII.

De Dignitatibus Capitulis, & Canonicis.

CAPVT I.

PRÆMISSO Capitulo de vita, & honeſtate Clericorum, ſuperaddenda cenſuimus nonnulla, quæ ſpecialiter ſpectant ad Eccleſiaſticas dignitates, vt conſtitutionibus varijs, quaſi vallo ac ſepe munitæ ſeſe melius tueantur aduerſus inſidias communis hoſtis, qui dum circuit quærens, quem deuoret contra illos potiſſimùm artem omnem intentat, qui ſunt in altiori gradu conſtituti, vt ruant lapſu grauiori.

Quicumque propterea præcellunt cæteris ornamento eccleſiaſticæ dignitatis, curari debent omni conatu, cæteros anteire integritate vitæ, grauitate morum, omnique ornamento virtutum, quod præſtabunt ſi animo ſtabili, ac firmo non ſolum curent obſeruare, quæ iiſdem de præcepto iniunguntur per Sacros Canones, aut varia Decreta conſtitutionum diuerſarum ſub pœna excommunicationis, aut commihatione diuini iudicij, ſed inſuper ea, quæ ijs proponuntur, tamquam regulæ directiuæ propriarum operationum, ad quem finem oportet illos benè noſſe, quæ continentur in tabulis aut decretis diuerſis in ſacriſtia noſtræ Cathedralis affixis.

CAPVT II.

CAmerarius, vel quiuis alius cui demandata eſt cura communis obſeruantiæ quocumque poſthabito humano reſpectu punctet omnino non ſolùm illos, qui non interſunt diuinis officijs, alijſque ſacris eiuſmodi conuentibus ſine legitimo impedimento, ſed multò ſeueriùs, qui non interſunt cum debita reuerentia, confabulantur, deambulant, litteras legunt, ſerò accedunt ad chorum, aut ſine rationabili, aut graui cauſa recedunt, & quod eſſet ſcandaloſum, & omnium maximè deteſtandum, qui dum celebratur Miſſa conuentualis, hùc illùc oculos immodeſtè con-

Digitized by Google

conuertunt, aut his ſimilibus detinentur, quæ multum dedecent loci, ac miniſterij ſanctitatem.

Camerarium eumdem monitum volumus, onuſque imponimus conſcientiæ illius, vt referat Nobis ſeu Vicario noſtro Generali, ſi quem animaduerterit amiſſione diſtributionum non emendari, vt poſſimus conſulere de validiori remedio.

C A P V T III.

INtelligant Canonici ex Decreto Sacri Conc. Trid. teneri ad recitandas horas Canonicas tàm diurnas, quàm nocturnas in choro ad id muneris deſignato, quoad Cathedralem verò ex conſilio per æſtatem in conſuetis ſedilibus ante altare maius eiuſdem, & per hyemem in ſedilibus alijs, quæ poſt idem altare ſunt præparata exceptis Canonicalibus Miſſis, & Veſperis, in quibus mos inualuit, quem tamquam laudabilem retineri approbamus, vt per hyemem etiam ſedeant in prædictis ſedilibus ante altare dum prædicta officia Miſſarum, & Veſperarum celebrantur. In Collegiata verò in ijſdem ſemper ſedilibus, & choro.

Quod ſi delinquentes fuerint in non recitando horas Canonicas, nouerint oneratam eſſe conſcientiam illorum pro rata fructuum proportionaliter competentium ſi illos fecerint ſuos ad reſtituendum Eccleſiæ.

C A P V T IV.

QVo tempore recitari ſolet officium, aut aliqua hora Canonica, vel Miſſa conuentualis cantari, debent omnes choro intereſſe, non miſſas celebrare, nec per Eccleſiam vagari, aut alibi detineri. Quod ſi notabiliter abfuerint, punctentur omnino, niſi ex graui eaque vrgenti neceſſitate Eccleſiæ excuſentur.

Præfecti, qui choro præficiuntur, non permittant laicos detineri in choro, & Canonicorum ſedes occupare, dum ſacra officia peraguntur; ſed ea qua decet vrbanitate commoneant, vt alio recedant. Dum Canonici pergunt à Sacriſtia ad Chorum, aut dum reuertuntur, non diuiſim procedant, ſed omnes ſimul, & quoad fieri poteſt bini, & bini præferendo in omnibus modeſtiam, & grauitatem,

quæ decet viros ſanctos, & ſegregatos à mundi illecebris, & ſæculi libertate.

C A P V T V.

AD memoriam reducimus eorum ad quos ſpectat vt ordinationes in Sacriſtia noſtræ Cathedralis pro eius recta adminiſtratione iam expoſitas à fel. record. Carolo Cardinali de Comitibus Patruo noſtro, & à prædeceſſoribus noſtris confirmatas, ſeruent omnino.

T I T V L V S XXVIII.

De Sacræ Scripturæ Lectione.

C A P V T I.

VT omni ſtudio, quo poſſumus conſulamus neceſſariæ doctrinæ eorum quos vna cum Sacerdotio præpoſuit Deus populo præceptores, & duces, Decreto inhærentes Sacri Concilij Tridentini per has noſtras ordinationes mandamus Canonico deſignato pro theologali præbenda, vt in futurum præfinito tempore, ſtatuta die, & hora, vt eſt vſque adhuc obſeruatum, nunquam omittat prælectionem moralis theologiæ, ſeu caſuum conſcientiæ ſub pœnis, quas noſtro arbitrio reſeruamus, in ea verò faciliori modo, quo poteſt, tractare illum oportet materias magis neceſſarias, quæ frequentius deuoluuntur ad praxim.

Teneantur verò intereſſe hujuſmodi prælectioni non ſolùm Parochi omnes, & Curati, ſed inſuper Confeſſarij Monialium, alijque Sacerdotes, qui deſignati ſunt confeſſionibus audiendis ſub pœna applicanda locis pijs ipſo facto incurrenda vnius iulij pro qualibet vice in caſu contrauentionis.

CA-

SAcriſtæ noſtræ Cathedralis, cui demandamus curam punctandi tàm Curatos, & Confeſſarios qui non intererunt, quamuis abſentes, quàm alios, qui ſerò acceſſerint lectioni conſcientiæ caſuum in noſtra Cathedrali vt ſupra faciendæ, commendamus vt ſingulis vicibus in notula, quam præparatam habebit nomina ſingulorum diligenter deſcribat, tàm qui nullatenus, quàm qui ſerò nimis interfuerint, & peculiari nota referat Nobis, vel Vicario noſtro eorum nomina, quos ita notauerit. Meminerit verò, quod ſi minus fideliter ſe geſſerit in adnotandis, ſeu punctandis, renunciandiſque, qui ſic punctari debuerint præter rationem, quam redditurus erit Omnipotenti Deo de graui culpa ex graui leſione iuſtitiæ, ſubibit alias pœnas, quas arbitrio noſtro reſeruamus.

Reliquos verò, ſeu Sacerdotes, ſeu Clericos, quamuis non expoſitos audiendis confeſſionibus ſacramentalibus rogamus in Domino, & hortamur, vt prælectionibus eiuſmodi interſint, nec exercitium omittant tam vtile, & neceſſarium ſtatui clericali, quem profitentur.

Qui verò obligati non potuerint intereſſe ex rationabili cauſa, meminerint non fore facilè excuſandos à pœna, niſi prius propoſito Nobis, aut Vicario noſtro Generali legitimo impedimento facultatem habuerint.

CAPVT III.

QVoniam vltra prælectionem prædictam habendam in noſtra Cathedrali à Canonico præbendato vt ſupra, aliam inſtituimus, quæ bis in Menſe in diuerſis Parochijs Ciuitatis habetur per Theologum à Nobis deſignatum, volumus, & mandamus, vt Parochi omnes, alijque Sacerdotes ad confeſſiones ſacramentales audiendas expoſiti, quotieſcumque habebitur, auditores interſint, nec vllus eorum deſiſteretur ſine noſtra, aut noſtri Vicarij Generalis licentia, ſub pœna, quam Nobis reſeruamus; reliquos vero Clericos, Sacerdotes præſertim rogamus, ne tam vtile exercitium omittant, ſciant verò rem gratiſſimam Nobis facturos ſi interfuerint; & memoriam habituros eorum, qui frequentauerint. Proponatur prius caſus

à Pa-

à Parocho deſignato per Theologum à Nobis deputatum qui collationibus præeſt, audiantur tum reliquorum ſententiæ, ſi quid habuerint contra reſolutionem propoſitam, tùm verò audiant omnes reſolutionem eius qui præeſt, cuius erit examinatis rationibus pro vtraque parte diſputationis ſententiam ſuam proferre. Demùm antequàm Congregatio dimittatur, indicatur dies cum Eccleſia Parochiali, in qua noua Congregatio erit iterum habenda, vnà cum nouo caſu, de quo diſputabitur.

C A P V T IV.

VIcarijs foraneis noſtræ Diœceſis ſtrictè præcipimus, vt collationes caſuum inſtituant, & ſingulis Menſibus Congregationes indicant, quibus ſimiliter intereſſe teneantur Parochi omnes, alijque Sacerdotes deſignati audiendis confeſſionibus ſacramentalibus ſub pœnis arbitrio noſtro reſeruatis, curentque ijdem omni opera, & diligentia, vt reliqui Clerici, & Sæculares interſint. In ijs verò ſepoſitis inutilibus, aut minus neceſſarijs agatur tùm de caſibus conſcientiæ, qui frequentius in vſum deueniunt, tùm de alijs ſpectantibus ad bonam Sacramentorum adminiſtrationem, nec dimittatur Congregatio prius, quàm intimetur tempus futuræ Congregationis, vnà cum materia de qua diſputabitur in illa.

Digitized by Google

TITVLVS XXIX.

De Bonis Eccleſiaſticis, eorumque redditibus, & Iuribus conſeruandis.

CAPVT I.

VT bene conſulamus ijs, quæ ſpectant ad rectam adminiſtrationem bonorum temporalium Eccleſiarum, aliorumque locorum piorum, per has noſtras Conſtitutiones mandamus Parochis omnibus, vt certis ſtatutis diebus inter Miſſarum ſolemnia enuncient Populo cenſuras, & pœnas quæ per Decreta Sacr. Concil. Trid. lata ſunt contra ſacrilegos bonorum Eccleſiæ vſurpatores, idemque præſtari curent à concionatoribus in proprijs Eccleſijs, vt terrore ſupplicij caueant fideles ab eiuſmodi vſurpatione.

CAPVT II.

CVm verò ex caſibus diuerſis contingat vel non extare, vel non reperiri ſcripturas publicas, aliaque id genus inſtrumenta pro legitima recognitione bonorum ſpectantium ad hanc, vel illam Eccleſiam, vnde fiat vt ſubortis litibus multa bona Eccleſiaſtica deperdantur; id circò ad emendandos, quo ad fieri poteſt præteritos errores, & benè conſulendum in futurum, mandamus, vt omnes, & ſinguli Eccleſiarum Rectores, & quorumcumque locorum piorum Gubernatores, alijque, qui cuiuſcumque generis beneficia Eccleſiaſtica obtinuerint quocumque nomine nuncupentur, vt infra duos Menſes ab huius publicatione Decreti, qui verò obtinebunt impoſterum à die, quo poſſeſſionem obtinuerint, conficiant inuentarium bonorum omnium tàm mobilium, quàm immobilium ſuarum Eccleſiarum, Altarium, Oratoriorum, Montis Pietatis, Societatum, Hoſpitalium, inſuper locorum piorum ſuppellectilia omnia, fundos, agros, domos, cenſus, redditus, cura, actiones, & alia omnia, quæ ad præfata loca, & bona pertinebunt adnotando fideliter, & diligenter, vbi opus fuerit qualitatem, quantitatem, confinia, reſponſiones,

Digitized by Google

ſiones, nomina, titulos, instrumenta, & nomina notariorum rogatorum, Anni, Menſis, & diei dati inſtrumenti, addita ſubſcriptione propria aliorumque teſtium ad minus trium.

Volumus autem, vt prædicti omnes Gubernatores, Eccleſiarum Rectores, alijque vt ſupra poſt publicationem harum Synodalium Conſtitutionum fieri curent quàm primùm notam prædictam, cum præfatis omnibus requiſitis, eam verò ſic diligenter compactam, & ordinatam deferant poſtea ad noſtrum Archiuium Epiſcopale ibidem perpetuò aſſeruandam. Quòd ſi aliqui moroſi nimium, ac deſides fuerint in eadem conficienda, nouerint puniendos fore congruentibus pœnis, quas arbitrio noſtro reſeruamus.

CAPVT III.

QVandoquidem verò dominium bonorum eccleſiaſticorum totum eſt penes eccleſiam, cum ſola eorumdem adminiſtratio ad beneficiatos, vt ad vſufructuarios pertineat, animaduertant omnes beneficia eiuſmodi poſſidentes, nullatenus ſibi licere alienationes vllas, aut pignorationes prædictorum bonorum conficere; quemadmodum, nec locationes vltra triennium, etiam ſi clauſula apponatur, quod de triennio in triennium intelligatur facta locatio, ac reſeruatus aſſenſus Sedis Apoſtolicæ. Propterea ſciant permutationes, & locationes quas fecerint, niſi ſint iuxta Conſtitutiones Pauli V. Xiſti V. & Clementis VIII. nullius valoris, & omnino inualidas reputandas eſſe.

CAPVT IV.

REctores Eccleſiarum, aut alius quicumque beneficiatus ſine noſtra expreſſa licentia in ſcriptis, & non aliter obtinenda vllatenus audeant pendentes fructus beneficiorum vlla de cauſa, aut ſub quouis prætextu vendere, aut alia ratione alienare, niſi mercedis, aut prætij ſolutione dilata in id vſque tempus, quo ſeparandi erunt à ſolo. Similiter caueant à contractibus ſolutionis anticipatæ ex locatione domorum, prædiorum, aut aliorum quorumcumque bonorum ad Eccleſiam pertinentium, & ſimul ſciant, quod ſi ſecus fecerint, non ſolùm contractus initos nullos,

los, & iritos eſſe, ſed inſuper fore mulctandos grauioribus pœnis, quas pro arbitrio infligemus iuxta menſuram delicti.

CAPVT V.

SI periculum immineat ne aliqua Eccleſia aut domus dilabatur, deferant ſtatim prædicti Rectores, Gubernatores, alijque ad Vicarium noſtrum Generalem vnà cum imminenti periculo neceſſitatem reparandi, cuius curæ poſtea commendamus, vt ſtatim omni diligentia, qua poterit, periculo conſulat, compellendo videlicet illos, ad quos de iure, aut conſuetudine competit ad reparationem, & refectionem, quatenus opus eſſe iudicauerit.

Vbi fuerit legitima de cauſa ab aliquo beneficiato impetrata à Nobis licentia in ſcriptis obtinenda, cędendi debito tempore arbores, aut ſiluas cæduas, volumus vt aliæ ſubſtituantur in locum cæſarum. Quòd ſi præſumpſerint cædere ſine prædicta licentia ſubiacere mandamus pœnis, quas Nobis reſeruamus.

CAPVT VI.

SCiant Parochi eſſe muneris proprij non ſolùm ægrotanti Parocho, ſi vicinior ſit, opitulari in omnibus, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, ſed etiam vbi nouerint mortem illius, vel vacationem alterius cuiuſcumque beneficij ex morte alicuius Sacerdotis, ſeu Clerici ad ſuam Parochiam ſpectantis, omni cum diligentia ſtatim conficere inuentarium bonorum, ſcripturarum, ſuppellectilium, & mobilium, quæ domi fuerint inuenta, vocatis omnibus quorum intereſt, quod ita confectum ad Archiuium noſtrum tranſmittat, inſuper, & inuentarij copiam, quæ omnia coram teſtibus probo alicui Viro cuſtodienda conſignet, donec à Nobis prouiſum aliter fuerit, domeſticis vero cęteriſque conſanguineis defuncti, alijſque ſi opus fuerit, præter pœnas excommunicationis, indicat & alias Noſtro nomine, & arbitrio infligendas, ſi bullas, ſcripturas, aut alia quæuis ad Eccleſiam ſpectantia alio aſportauerint, & occultauerint.

 C A-

Digitized by Google

CAPVT VII.

QVi deſignati ſunt à Sede Apoſtolica examinandis ſupplicationibus Regularium pro alienationibus bonorum, diligenter examinent cauſas, quæ in Apoſtolicis litteris continentur in prędictis alienationibus non permittendis, niſi cum neceſſitas poſtulauerit, ſepoſito quouis humano reſpectu, & vnum Deum, eiuſque gloriam præ oculis habentes, aliter nouerint prolapſuros in cenſuras, & pœnas, quæ in Bulla Pauli II. continentur.

CAPVT VIII.

OMnes demum rogamus præſertim illos, qui multis fruuntur commoditatibus Eccleſiaſticorum bonorum, bona Eccleſiaſtica eſſe illis tradita, vt illis vtantur ea, qua decet, clericali frugalitate, ac temperantia vitam honeſtè ſuſtentando expenſis pluribus, aut paucioribus pro qualitate perſonæ. Quæ verò ſupererunt partim eſſe impendenda in neceſſitatem, aut commoditatem Eccleſiæ, quam meminerint vti ſponſam ijſdem traditam à Deo diligendam, ſeruandam, atque exornandam de eccleſiaſticis bonis, partim verò eroganda in ſuſtentandam pauperum indigentiam. Quod ſi diſſipauerint, vel in luxus intemperantia, vel in augendis redditibus conſanguineorum pluſquàm requirat caritas ordinata, ſciant eſſe reddituros Omnipotenti Deo ſeueram rationem, tamquam de Patrimonio Chriſti male adminiſtrato.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XXX.

De Proceſſionibus.

CAPVT I.

QVANTI interſit in proceſſionibus publicis ſingularis nitor modeſtiæ, ac pietatis commendatione non indiget. Vnum rogamus, vt omnes animaduertant eſſe eiuſmodi ſupplicationes ſanctiſſimè inſtitutas ſæpe numero ad impetrandam opem diuinæ miſericordiæ in periculis; ſæpe ad agendas gratias pro receptis maximis beneficijs alias verò ad exibendum Maieſtati diuinæ debitum obſequium, vt ſuperno Regi, ac Domino: vt verò in conſpectu illius acceptabile fiat obſequium noſtrum, & ſuper nos deſcendat imber Miſericordiæ, quam imploramus; Cùm eſt accedendum ad ſupplicationes eiuſmodi, ſummopere decet, vt cum interiori humilitate cordis coniungamus exteriora obſequia modeſtiæ, ac reuerentiæ, vt potè quæ non minus debentur Maieſtati diuinæ, & requiruntur à Nobis.

Vt bene omnia procedant cum fieri contigerit eiuſmodi proceſſiones, ſiue ordinarias certis ſtatutis diebus, ſiue extraordinarias ob publicam aliquam cauſam à Nobis indictas, vniuerſus Clerus tum ſæcularis, tum regularis, quemadmodum etiam laicorum Confraternitates iuxta laudabilem huius Ciuitatis ac Diœceſis conſuetudinem congregari omnes debent vnà cum proprijs veſtibus, ac inſignibus alijs in Eccleſia, à qua ſumendum erit proceſſionis initium. Animaduertant tamen, ne cum peruentum fuerit ad Eccleſiam, ad quam proceſſio dirigitur, ab ea diſcedant, antequàm abſolutæ fuerint preces conſuetæ, ac detur populo benedictio.

CAPVT II.

EX Clero ſæculari nemo audeat accedere, qui non deferat veſtem talarem, nec ſit decenter ornatus mundis ſuperpelliceis. Deferant ſinguli bireta, quibus vtantur, non pileis, niſi cum aliter ferendum eſſet graue incommodum ſeu ab imbribus, ſeu à ventis.

CAPVT III.

PRoceſſiones, quæ à meridie poſt veſperas habebuntur maturè inchoentur, atque ita omnino, vt ante occaſum ſolis terminentur; qui verò ad eaſdem benè ordinandas, & dirigendas deſignantur, omni, qua poterunt diligentia, curabunt, vt ſinguli ſuò locò, & ordine bini, & debita cum diſtantiâ, & deuotione procedant; non ad inuicem colloquantur, atque hùc illùc perſonam, aut oculos immodeſtè conuertant.

CAPVT IV.

SAcerdotes, & Cappellanos quorumcumque Confraternitatum, qui iiſdem adiunguntur, nolumus aliter incedere, quàm vel immediatè poſt Gubernatores, & Officiales illarum, vel in medio eorumdem, ita videlicet vt quemadmodum ſæcularibus reliquis præcedunt dignitate Sacerdotis, ita reliquis omnibus præferantur loci dignitate, quod etiam inuiolabiliter omnino ſeruari mandamus in deferendis mortuis, dum aſſociantur Confratribus prædictarum Confraternitatum: ſecus verò operantes tàm Cappellanos, quàm Sacerdotes alios, quàm etiam Gubernatores, & Officiales quoſcumque ſubiacere volumus pœnis, quas pro noſtro arbitrio imponemus.

CAPVT V.

VIæ omnes, per quas erit progrediendum cum ſacro illo, & publico comitatu, à vicinis mundari diligenter oportet, præſertim verò in ſolemnioribus proceſſionibus, & omnium potiſſimè in annua celebritate Sanctiſſimi Sacramenti, in qua etiam omnibus commendamus, vt ſinguli ante domos ſuas, & viam floribus ſternant, & parietes, aut feneſtras auleis, picturis, aut ſericis pannis ornatu, quo poterunt meliori exornent. Vnum caueant, ne quid ridiculum, aut profanum in publicum aſpectum exponant, ex quo videatur poſſe vllatenus detrahi de reuerentia, & cultu, qui debetur tanto Sacramento.

CA-

CAPVT VI.

NVlli omnino cuiuſquam Eccleſiæ Rectori , Gubernatoris aut alio quocumque nomine nuncupetur ſeu ſæculari, ſit , ſeu regularis , liceat vlla de cauſa deferre extra Eccleſiam quamuis ſit regularium Sacramentum Euchariſtiæ feria quinta , & ſexta maioris hebdomadæ.

CAPVT VII.

INſuper verò præter conſuetas proceſſiones ab Eccleſia indictas nullis ſimiliter prædictis Rectoribus , Gubernatoribus , alijſque , vt ſupra , ſeu regularium , ſeu ſæcularium liceat ſine noſtra licentia extra Monaſterij clauſtra , ſi habuerint , vel ſi non habuerint non niſi intra ambitum Eccleſiæ , vel tantùm propè muros eiuſdem proceſſiones alias quaſcumque inſtituere ſub pœnis arbitrio noſtro reſeruatis.

CAPVT VIII.

VTerque Clerus tam ſæcularis, quam regularis curet omni cum diligentia maturè intereſſe tempore determinato in loco à quo proceſſio erit dirigenda , & progredi incipiet , ex quo fit , vt melius omnia procedant , & ordinentur . Regulares propterea nullatenus debent expectare in oſtijs propriarum Eccleſiarum , vt in via ijſdem proceſſionibus coniungantur.

Digitized by Google

TITVLVS XXXI.

De Monialibus.

CAPVT I.

QVamuis ſit muneris noſtri vineam Domini curæ noſtræ commiſſam in omnibus ſui partibus cuſtodire, vt reddat Domino ſuo fructus vitæ æternæ, quos debet; nihilominus quia quod reſpicit cuſtodiam Monialium, videtur eſſe pars illa, cui Cultor Cœleſtis ſepem circumdedit, idcircò curandum eſt, vt cum maiori diligentia cuſtodiatur. Propterea præter priuatas ſanctiones, conſtitutiones, & decreta, quæ alias promulgauimus, edenda inſuper duximus alia nonulla, quæ ſatis opportuna iudicauimus ad bonum regimen earumdem.

Nemo proinde accedere audeat ad vllum Monaſterium Monialium quamuis regularibus ſubiectum ad alloquendum cum illis, vel cum aliqua earumdem, ſiue ſit Laicus, ſeu Clericus, ſeu regularis, ſeu ſæcularis, ex quauis cauſa, vel prætextu ſine Noſtra aut Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis habenda, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam Nobis reſeruamus, ijs ſolum exceptis, qui ex neceſſitate famulatus monaſterio inſeruiunt, qua lege teneri etiam, & obligari volumus affines omnes & conſanguineos, niſi ſint Pater, Mater, Sorores, aut Fratres germani.

CAPVT II.

REgularibus verò, qui tranſgreſſores fuerint reuocamus in memoriam pœnas alias, tam quæ ijſdem indicuntur in Decreto per Sacram Congregationem edito ſuper negot. regul. de mandato fel. record. Xiſti V. tum quæ continentur in eodem iterum innouato auctoritate Vrbani VIII. quibus omnibus ſubiacebunt.

Meminerint præterea ijdem regulares cuiuſcumque ſint Ordinis, ac inſtituti decreti emanati à fel. record. Clemente Papa IX. quo ijſdem interdicitur acceſſus ad alloquendum cum

Monialibus quamuis ad modicum temporis ſpatium ſub pœnis, quæ ibidem continentur.

CAPVT III.

CVm ſit permiſſum Epiſcopis ex prædictæ Congregationis indultu, indulgere poſſe cum regularibus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis de facultate concedenda alloquendi moniales quater in anno, cum talis facultas à Nobis, aut per Vicarium noſtrum ijſdem conceditur iuxta peculiarem formam, quam præſcribi cenſebimus pro opportunitate temporum, locorum, & perſonarum, monemus omnes, vt caueant, ne ſimulent gradum conſanguinitatis, quem non habent, aut licentiæ tenorem in re aliqua transgrediantur, aliter pœnis per ſupradictum decretum impoſitis, & alijs etiam grauioribus punientur, quas Nobis reſeruamus.

CAPVT IV.

MOnaſteriorum ſepta, quibus clauduntur vndequaque, nemo vllibi vllatenus ingredi præſumat, quamuis fuerit fœmina, aut vir, quin prius habuerit neceſſariam facultatem à Nobis, vel Vicario noſtro conceſſam; aliter meminerint ſubituros pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ Summo Pontifici reſeruatæ, quæ per bullas Romanorum Pontificum contra eiuſmodi tranſgreſſores indicitur.

Qui verò ex legitima cauſa facultatem obtinuerint ingrediendi, nouerint nullatenus poſſe pro libito, & quòcumque voluerint per Monaſterium vagari, ſed ſolùm progredi debent ad locum vbi peragendum eſt opus, propter quod aduocantur, & eſt ijſdem conceſſa facultas ingreſſus, eodemque peracto nulla mora interpoſita, debent egredi de ſeptis clauſuræ.

CAPVT V.

SAcerdotibus quibuſcumque tùm ſæcularibus, tùm regularibus; quamuis à Nobis approbatis ad audiendas confeſſiones in noſtra Diœceſi nolumus tamen eſſe licitum ijſdem audire

Digitized by Google

audire confeſſiones Monialium, quamuis ſibi, aut Ordini ſuo ſubiectarum, niſi præuio examine ſpecialem à Nobis approbationem habuerint, quæ quidem debet eſſe earumdem Monialium, aut Monaſterij, ad quarum ſeu cuius confeſſiones audiendas ſpecialiter deputabitur.

Nolumus propterea approbatum in vno Monaſterio poſſe audire confeſſiones alterius, niſi nouam, & ſpecialem approbationem habuerit. Quemadmodum etiam nolumus Confeſſarios ſeu extraordinarios, ſeu ordinarios aliàs approbatos audiendis confeſſionibus alicuius Monaſterij, poſt abſolutum ſemel Confeſſarij officium, & munus, poſſe iterum audire confeſſiones eiuſdem Monaſterij, niſi nouam, & ſpecialem approbationem habuerit, volumus quippe toties approbari, quoties caſus deputationis aduenerit.

CAPVT VI.

SCiant omnes Confeſſarij Monialium, non eſſe ijſdem licitum ingredi monaſteria ſine ſpeciali licentia, niſi vrgente cauſa maximè neceſſaria, quæ non permitteret moram petendi, expectandique debitam conceſſionem licentiæ, aliter ipſo facto incurſuros in excommunicationem Romano Pontifici reſeruatam. Quoties verò introierint ad Sacramenta ſeu Pœnitentiæ, ſeu Euchariſtiæ, ſeu Extremæ Vnctionis adminiſtranda, induantur prius ſuperpelliceo, & ſtola, quem ſemper habitum deferant toto tempore, quo contigerit intra Monaſterium detineri.

CAPVT VII.

SCiant propterea Abbatiſſæ, quod, ſi permiſerint aliquem ingredi, qui prædictam licentiam non habuerit, quamuis ſit Medicus, Chirurgus, aut Confeſſarius, ipſæ etiam incurrent in excommunicationem prædictam. Inſuper caueant, ne eos, qui habuerint facultatem ingrediendi, patiantur ingredi ante ſolis ortum, vel poſt illius occaſum, niſi vrgentiſſima neceſſitas cogeret aliter operandum, in quo caſu, ſi per tempus licuerit, peti volumus prius, & audiri conſilium noſtrum, aut noſtri Vicarij Generalis.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

CAueant omnes à quouis ſtrepitu, quo perturbari poſſit quies religioſa monialium propè earumdem monaſteria; præſertim verò, ne choreas ducant, ſonos emittant, aut cantus proferant, vt potè aliena omnia à debita modeſtia, quæ ſacris Virginibus, & earumdem Monaſterijs debetur.

Inſuper propterea præcipimus, ne propè monaſteria aperiantur tabernæ, multòque magis, ne propè eadem licitum ſit meretricibus habitare.

TITVLVS XXXII.

De Monte Pietatis.

CAPVT I.

VT omni ſtudio, quo poſſumus conſulamus bono regimini rectæq; adminiſtrationi bonorum Montis Pietatis, qui ad ſubleuandam miſerorum inopiam erectus, ſatis commodus, & opportunus pauperibus accidit in hac Ciuitate. Quandoquidem à Sacro Conc. Trid. bona eius adminiſtratio & Nobis ſummopere commendatur, & curæ noſtræ committitur. Monemus in primis, & enixè in Domino rogamus Officiales omnes electos ad prædicta bona adminiſtranda, ne quoad fieri poteſt, alios ſufficiant in locum ipſorum, ſed ipſi immediatè, quod eſt proprium muneris ſui, per ſe ipſos exerceant. Quod ſi eorum incuria, negligentia, aut alio quouis culpæ defectu prædicta bona aliqua ex parte male pereant, & deperdantur, meminerint eſſe obligatos de proprio ad reparanda damna, quæ per ipſos contigerint.

CAPVT II.

PEcuniam non aliter credant, quàm cum deferuntur pignora, & realiter deponuntur, caueant tamen ne recipian-

piantur, niſi valorem excedant mutuatæ pecuniæ. Quia verò inſuper eſt aduertendum, vt ſint eius conditionis, ac generis, ex quo fiat, vt vendi facilè poſſint, in caſu quo non redimerentur; idcircò neque libros, aut arma recipiant, nec ſimilia pro quibus vendendis non tàm facilè inueniuntur emptores.

C A P V T III.

OMni cum diligentia libros habeant dilucidè ſcriptos claris, diſtinctiſque characteribus, eoſdemque bene ordinatos, in quibus tùm pignora, tùm Montis pecuniæ deſcribuntur.

Præ cæteris ſtudeant, ne quid prætereant eorum, quæ per Conſtitutionem fel. record. Pauli V. Montis Officialibus præſcribuntur, memores excommunicationis latæ ſententiæ Romani Pontifici reſeruatæ, quæ per eamdem conſtitutionem intimatur tranſgreſſoribus eorum, quæ ibidem præcipiuntur.

Quapropter vt in prædicta Bulla præcipitur de pecunijs quæ ad prædictum Montem quomodocumque ſpectabunt, aut pertinere nouerint, ſeu fuerint iiſdem à principio aſſignatæ pro ſorte principali, ſeu fuerint aquiſitæ pro eiuſdem ſortis augumento, caueant omnino, neque præſumant ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, in alios vſus conuertere, aut quomodocumque diſponere, quàm in commodum pauperum, ad leuandam eorumdem inopiam iuxtà modum, & formam in dicti Montis erectione præſcriptam ſub quouis prætextu, & quæſito colore, etiam cum obligatione interpoſita reſtitutionis faciendæ intra breue, imò breuiſſimum tempus.

C A P V T IV.

SCiant prædicti Officiales poſt abſolutum annum ſuæ adminiſtrationis teneri ad reddendam rationem adminiſtrationis eo anno peractæ iuxta Decretum Sacri Concil. Trident. coram Vicario noſtro Generali, ad quod præſtandum curent habere paratos, & bene ordinatos libros adminiſtrationis prædictæ.

C A-

CAPVT VI.

QVod attinet verò ad aliam, quæ per annum ſemper ſuboritur nouam materiam ordinationum remittimus totum conſulendum congregationibus, quæ bis in menſe coram Vicario noſtro Generali ſuper negotia prædicti Montis habebuntur, in quibus, ſi quid noui decernendum iudicabimus, priuatis ſanctionibus pro temporis opportunitate ſtatuemus.

Præcipimus etiam obſeruari decreta tàm à Nobis, quàm ab Anteceſſoribus noſtris emanata pro recta adminiſtratione Montis Pietatis, in quibus conſulitur pauperum inopiæ & commodo Ciuitatis.

TITVLVS XXXIII.

De Medicis.

CAPVT I.

CVM certum ſit omne donum deſurſum eſſe deſcendens à Patre luminum, Chirurgos, & Medicos omnes monemus, & in quantum poſſumus enixè rogamus, vt in curandis ægrotis methodum curationis, quoad fieri poteſt, exordiantur à Deo; iiſdem propterea hoc noſtro Synodali Decreto præcipimus iuxta tenorem ſanctiſſimarum Conſtitutionum Innocentij III. & B. Pij V. cum ad aliquem curandum aduocantur, præſertim ſi dignoſcant morbum eſſe periculoſum, vt benignè diſponant ad expiandam conſcientiam peccatorum apud idoneum Confeſſarium, atque ita ad implorandam melius opem Diuinæ Miſericordiæ; neque ad inuiſendum eundem accedant, ſi poſt vnam, & alteram diem viſitationis non habuerint teſtimonium confeſſarij de collata infirmo abſolutione Sacramentali, vel ſaltem niſi conſtiterit longiores inducias ab eodem obtinuiſſe. Quod ſi tranſgreſſores fuerint huius conſtitutionis, ſciant eſſe incurſuros ipſo facto in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, perpetuæ infamiæ, & ſuſpenſionis ab

Digitized by Google

Officio impoſterum exercendo ſine noſtra ſpeciali licentia, præter alias pœnas, quas attentis circumſtantijs pro arbitrio infligemus.

CAPVT II.

SCiant prædicti Chirurgi, & Medici ipſos etiam teneri ad profeſſionem Fidei apud Nos emittendam, cum primò electi ad exercendum proprium officium in hac Ciuitate, vel alio quouis loco huius noſtræ Diœceſis voluerint illud exercere, cui obligationi nouerint ſe nullatenus ſatisfacturos, niſi ante quam incipiant officium exercere, profeſſionem prædictam emiſerint. Qua occaſione debent etiam iureiurando promittere, ſe fideliter ſeruaturos præfatas Conſtitutiones tum Innocentij III. tum B. Pij V. de diſponendis eorum opera infirmis ad Confeſſionem Sacramentalem, iiſdemque non viſitandis, ſi aliter factum animaduerterint, vt dictum eſt ſupra.

CAPVT III.

CAueant verò, ne vnquam proponant infirmis ſeu medicamentum vllum, ſeu vllum medendi modum, quæ à Lege Diuina diſſona ſint, & in animarum perniciem conuertantur. Aliter operantibus ſub interminatione Diuini Iudicij intimamus anathematis pœnam, præter alias corporales, quas pro arbitrio infligemus.

CAPVT IV.

NE verò à quopiam prætendi poſſit ignorantia huius noſtri Decreti, & præcludatur locus quilibet excuſationi, volumus, vt illud infra ſpatium octo dierum poſt editam Synodum à ſingulis Parochis notificetur Chirurgis, & Medicis, quos habitare nouerint in eorum parochijs, poſteà verò tranſmittant legitimam fidem notificationis factæ apud noſtrum Cancellarium. Inſuper Curati omnes certis per annum, deſignatis, ſtatutiſque diebus hoc idem Synodale Decretum vernacula lingua promulgent populo, idemque exponant inter Miſſarum ſolemnia, vt ab omnibus attentè audiatur, & obſeruetur.

QVotieſcumque ſeu Chirurgi, ſeu Medici neceſſe habuerint vnà cum noſtra licentia ingredi monaſteria Monialium ad eaſdem viſitandas ſeu diſcumbentes in lecto, ſeu alia de cauſa impotentes deſcendere ad grates, caueant vt ſupra dictum eſt de Monialibus, ne ante Solis ortum, vel poſt eiuſdem occaſum earumdem monaſteria ingrediantur. Rurſus verò abſoluta viſitatione ægrotantis caueant, ne vel aliò diuertant per monaſteria, vel cum alijs colloquendo detineantur. Cum verò ingrediuntur transferant ſeſe ad ægrotantis cubicula tramite breuiori, & ſimiliter reuertantur ad ianuam monaſterij, nec aliter vnquam, quàm aſſociati à duabus Monialibus ad hoc munus deputatis.

Animaduertant demum, nihil præterire eorum, quæ à Nobis, aut à Vicario noſtro præſcribuntur circa tenorem licentiæ, quæ iiſdem concedetur.

T I T V L V S XXXIV.

De Ludi Litterarij Magiſtris.

C A P V T I.

LITTERARVM Ludi Magiſtri ſciant eſſe muneris ſui pueros ſuæ curæ commiſſos bonis moribus imbuere, noſtræ fidei miſteria edocere, ſalutaribus præceptis inſtituere, & ad normam Chriſtianæ diſciplinæ, omni ſtudio pietatis erudire; illos præſertim bene inſtituere oportet, vt caueant à culpis omnibus etiam venialibus, vt ſemina virtutum, quæ in bonam terram teneræ illorum ætatis iaciuntur, cum ad annos iuniores peruenerint, reddant fructum centuplum, quem Cultor Cæleſtis promittit, ad quod præſtandum ſuadeant ſibi neceſſe eſſe, vt diſcipulis ſuis præſint exemplo omnium virtutum.

Digitized by Google

Nimaduertant verò quod ſi in iis erudiendis ad normam Chriſtianæ pietatis deſides fuerint, præter rationem ſeueram, quam reddituri ſunt Deo, curabimus in re tanti momenti, vt reddant etiam Nobis, quà priuatis, quà publicis animaduerſionibus, & quà opus fuerit pœnis aliis, quas attentis circumſtantiis imponemus.

CAPVT III.

CVrent omnino vt ſingulis feſtis diebus interſint omnes Miſſæ Sacrificio, quod illis ſæpe inculcari iterum, atque iterum oportet; commendandum etiam eſt vt interſint aliis diebus, & ſi commodè fieri poſſit iiſdem diebus, duci ſimul oporteret ad Sacrum deuotè, ac reuerenter audiendum in vicina aliqua Eccleſia. Curent inſuper, vt interſint Sacris concionibus; ad exercitium verò Doctrinæ Chriſtianæ alicubi audiendum omnino compellant, idemque exercitium in propria Schola ſemel ſaltem in hebdomada ipſi met curent omnino nullatenus prætermittere, vt ſepius repetita ſaluberrima fidei noſtræ inſtituta hæreant melius memoriæ, ac animis puerorum.

CAPVT IV.

PRæter libros prohibitos Eccleſiaſticis cenſuris, curent etiam omni cum diligentia, vt procul abſint à manibus, & oculis diſcipulorum ſuorum alii quicumque; quos nouerint profanis amoribus coinquinatos, quo veneno nihil pernicioſum magis puerorum innocentiæ; multoque magis caueant, ne illis ſub quouis prætextu interpretentur. Quemadmodum nec alios quoſcumque legi patiantur, per quos animaduerterint minui poſſe in animis puerorum feruorem Chriſtianæ pietatis.

CAPVT V.

PIaculum eſſet palmaris deſidiæ in eiuſmodi ſcholis, ad quas pueri congregantur, ſi non eluceret alicubi decenti aliquo in loco Imago aliqua Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſeu

ſeu Sanctiſſimæ Virginis, cui debita veneratio, debitaque obſequia à diſcipulis præſtarentur. Curent propterea ludi Magiſtri diſcipulos ita erudire, vt cum primò ſcholam ingrediuntur, non ante ſedeant, quàm genibus flexis ſalutauerint prius prædictam Imaginem Chriſti Domini, vel Sanctiſſimæ Virginis, recitando Salutationem Angelicam, aut Orationem Dominicalem. Cum verò diſcedendum eſt, non ante egrediantur, quàm Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum fidei alta, & clara voce recitauerint, in ſabbato verò curent omnino, vt in obſequium Sanctiſſimæ Virginis eiuſdem Litaniæ, vno, aut altero intonante, cæteris reſpondentibus, recitentur.

CAPVT VI.

IN noſtra verò Ciuitate, & Diœceſi, quicumque exercere voluerint tam laudabile miniſterium ludi Magiſtri, volumus, vt teneantur prius fidei profeſſionem emittere coram Vicario noſtro Generali, per quam Nobis innoteſcat habere animum bene firmum in fide veræ, & ortodoxæ religionis eos, quibus committitur cura docendi alios rudimenta fidei, & imbuendi præceptis veræ religionis.

TITVLVS XXXV.

De Quæſtoribus Eleemoſynarum.

CAPVT I.

VOLENTES omnino delere, & procul expellere à noſtra Ciuitate, & Diœceſi circulatores quoſdam homines ignotos, qui ſub veſte, ac habitu religioſo tegentes ſordidam animi auaritiam, & pecuniæ cupiditatem hùc illùc excurrunt mentientes ſæpè indulgentias, quas publicant, circumferunt deoſculandas imagines, & aliquando diſtribuunt, & ſimilibus vtuntur ob finem furandi potius, quàm congregandi eleemoſynas à fidelibus populis, cum

Digitized by Google

cum neque appareat titulus paupertatis, nec alius congruus Sanctus, aut religioſus, ad quem ordinentur eleemoſynæ, quas à fidelibus petunt: Id circò iuxta Concil. Trid. Decretum, & litteras Sacr. Congregat. in virtute Sanctæ Obedientiæ Parochis omnibus præcipimus, vt ſi reſciuerint aliquem iſtorum in propria Parochia eleemoſynas eiuſmodi quæritare velle, illis omnino interdicant auctoritate noſtra, quam illis impertimur, ne petere incipiant, & ſi inceperint, ne proſequantur vlterius tàm indignum quæſtum abominabilis mercaturæ, & Vicario noſtro Generali quàm primùm deferant hominem, vt ea, qua pollet auctoritate arceat, & expellat.

C A P V T II.

REgularibus, qui in Ciuitate, vel Diœceſi Monaſterium non habent, licere nolumus ſeu prætextu paupertatis, ſeu alterius priuilegij Nobis inconſultis circumire colligendo eleemoſynas; iiſdem Parochis propterea præcipimus, ne ſimiliter regulares eiuſmodi in ſuis Parochijs eleemoſynas quæritantes admittant, quin prius exibeant noſtram facultatem, quam dari volumus in ſcriptis, quatenus opus eſſe iudicabimus. Quod ſi obtinuerint, eoſdem Parochos rogamus, vt omni cum attentione prædictorum religioſorum mores diligenter obſeruent, & ſi quid turpe, aut diſſonum à recto tramite religioſæ virtutis animaduertant; deferant ſtatim Nobis, vt maturè conſulamus de opportunis remedijs.

C A P V T III.

INuigilent præſertim, ne campanellam deferant, aut alia ſimilia quæſtorum eiuſmodi inſtrumenta, niſi oſtenderent patentes litteras, per quas conſtaret illos eſſe religioſos Ordinis S. Antonij de Vienna, quibus ex antiquo eorum inſtituto vſus campanellæ permittitur. Animaduertant præterea, ne alijs vtantur modis, aut artibus in eleemoſynis petendis, quàm ſimplicitate Euangelica, quæ propria eſt pauperum Chriſti, videlicet rogando modeſtè, ac ſimpliciter, & ne præſcriptum tempus, quod à Nobis in prædicta licentia conceditur, excedant.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

LAicis omnibus, vtriuſque ſexus vetitum eſſe omnino volumus, cuiuſcumque ſint ſtatus, & conditionis, ne ſine noſtra licentia habenda in ſcriptis vllatenus omnino, & quauis ex cauſa præſumant eleemoſynas pro alijs petere, quamuis erogandas in vſum cæteroqui optimum Eccleſiarum, Altarium, Confraternitatum, Hoſpitalium, Eccleſiaſticarum fabricarum, Monaſteriorum, & ſimilium, ne in terram cæteroqui bonam inimicus homo ſuperſeminet zizania in medio tritici, ſi videat cultores agri, quaſi dormientes, parui pendere vigilantiam, quam debent.

TITVLVS XXXVI.

De Vſuris, & Vſurarijs.

CAPVT I.

QVIA nullum veneni genus adeo nequiter inficit fidelium animos, cum in illos deſcendit, quàm abominabile vitium vſuræ, quà fit, vt per iniquum genus mercaturæ eo facilius aliena bona rapiuntur, quo magis cælari videtur iniquitas furti ſub apparenti ſpecie ſinceri contractus, idcircò omni, quo poſſumus, animi conatu rogamus Confeſſarios omnes, omneſque concionatores, vt quà priuatis correctionibus in Sacramento Pœnitentiæ, quà animaduerſionibus publicis inter concionandum, ita eiuſmodi vitium perſequi omnes contendant, vt quoad fieri poteſt euellatur, & extirpetur de Ciuitate noſtra, noſtraque Diœceſi.

CAPVT II.

PArochi omnes propterea vires omnes intendant, vt bene ipſi in primis intelligant, quid illud ſit abominabile vitium vſuræ, & in quo potiſſimùm ſita ſit eiuſdem malitia, & vis iniquitatis, vt poſſint in re cæteroqui magni

mo-

Digitized by Google

momenti ſanam, rectamque doctrinam alios docere, tùm pari ſtudio, parique conatu conentur inter Miſſarum ſolemnia, cùm opus fuerit, ſeu in domeſticis, priuatiſque colloquijs, ita abominari, & deteſtari deteſtabilem peſtem, vt nomen ipſum vſuræ reddatur populis abominabile. Caſus verò quos iiſdem audire contigerit in ſacramentalibus confeſſionibus, accuratè ac diligenter examinent, in dubijs verò conſulant iudicium periti Theologi, ne minus cautè, aut temerè procedant in ferenda ſententia in præiudicium tum propriæ conſcientiæ, & pœnitentium, tum bene adminiſtrandæ iuſtitiæ, cum obligandi ſunt pœnitentes ad reſtituendum bona, quæ iniuſtè acceperunt. In ijs verò abſoluendis cautè omnino procedant, ita videlicet, vt nunquam perditos eiuſmodi vſurarios abſoluant, niſi vel cum debito ſatisfecerunt prius, vel ſaltem idonea cautione promiſerint, ſe quàm primùm poterunt ſatisfacturos.

CAPVT III.

SCiant inſuper Parochi, alijque Sacerdotes quicumque, quamuis exempti, & alio quouis priuilegio gaudentes excommunicationem latæ ſententiæ, in quam ipſo facto incurrent ex Conſtitutione Clementis V. ſi notos vſurarios ſcienter tradant Eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi ante mortem reſipuerint vt oportet, idque conſtet ex Sacramentis ritè ſuſceptis, & teſtimonio prudentis, ac pij Confeſſarij, à quo abſolutionem ſacramentalem acceperint.

TITV-

T I T V L V S XXXVII.

De Concubinarijs, & Meretricibus.

C A P V T I.

PESTEM generis humani concupiſcentiam carnis quandoquidem penitus eradicare, ac eſtirpare non poſſumus, omnia omnino abominabilis Idræ capita amputando, quod omnium maximè virulentum eſt, & maximè omnium perniciosum, & ſcandaloſum, nempe crimen concubinatus conterere omnino volentes, Parochis omnibus præcipimus, vt Concubinarios quoſcumque, quos in ſua Parochia habitare nouerint cuiuſcumque generis, ſtatus, & conditionis ſint, præmiſſa benignè, quatenus opus fuerit, triplici admonitione rogent primùm officijs paternæ charitatis, vt abſtineant omnino à conuerſatione Concubinæ, & ſi domi habuerint, extra domum eijciant. Quæ ſi ſurdibus auribus audiant, nec moniti vllatenus monitionibus pareant, deferant ſtatim Nobis non interpoſita mora longiori, vt quandoquidem agendum eſt aſperioribus modis, compellamus illos pœnis per Summorum Pontificum Conſtitutiones, & Sacros Canones Conſtitutis, & ſi opus fuerit indicta inſuper illataque ijſdem excommunicatione.

C A P V T II.

QVod ſi aliquis illorum publicus, & notorius fuerit, caueant Parochi, ne accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ abſoluant, multò minus ad Sacram Communionem admittant, niſi prius dimiſſa Concubina dederint ſigna veræ pœnitentiæ, atque ita oſtenderint, vt de emendatis moribus, ſublatoque ſcandalo conſtiterit. Quod cum Parochi animaduerterint, non prius abſoluant quam id totum referant Nobis, & noſtrum audiant conſilium, vt poſſimus etiam exemplo Euangelici Paſtoris Ouem, quæ perierat iterum repertam, impoſitam humeris paternæ charitatis benignè ſuſcipere, & Chriſti gregi iterum adiungere.

CAPVT III.

MEretricibus fœminis , & alijs quibuslibet inhoneſtis , & infamibus mulieribus nolumus eſſe permiſſum hab re domum habitationis propè Eccleſias , & Monaſteria quin immò nec etiam prope alias honeſtas perſonas , q bus propterea inſtantibus , vt procul à prædictis Monaſ rijs , & domibus expellantur , volumus præberi benign aures à Vicario noſtro Generali , vt cauſa cognita peten bus ſatisfiat . Ad earum verò mulierum domus conſue ritu benedicendas caueant Parochi , ne vllatenus accedā
Procul ita ſint à Monaſterijs Monialium , & earumdem E cleſijs , vt nulla ex cauſa , vel prætextu , quàmuis ſacri audiendi , ingredi præſumant. Alias Eccleſias cum adir voluerint illud caueant , ne ad illas accedant in earumde celebritatibus , vel quando occaſione quadraginta ho rum venerationi fidelium publicè exponitur Sanctiſſimu Sacramentum Altaris , quamuis ſub motiuo cæteroqui l dabili viſitandi , cum frequentior populus ſolet ad illas co fluere. Vt conſulamus tamen deuotioni earumdem , cu prædicta oratio quadraginta horarum in prædictis Eccleſ habetur , modò non ſint Eccleſiæ Monialium , ijſdem p mittimus , quod ſi adire voluerint adire poſſint per vna horam , aut alteram , quæ inter meridiem , & veſpe intercedunt . Animaduertendum tamen , ne in prædic Eccleſijs , ſeu in publicis vijs geſtum aliquem faciant , verbum proferant minus honeſtum , & multò magis , a udeant proceſſionibus adiungi in comitatu reliquorum

CAPVT IV.

PRæter cauſam itineris nolumus alia quauis ex cauſa eſ ijſdem licitum detineri noctu , vel in tabernis , vel in blicis alijs hoſpitijs , ſi alij ſint aduenæ . Cum verò oc ſione itineris detineri opus fuerit , præfinimus illis ſpati trium tantum dierum . Quod ſi præterierint producer moram vlterius , præter pœnam publicæ fuſtigationis , plectentur , ſubibunt aliam exilij à noſtra Ciuitate , & D ceſi . Similiter verò pœnas eaſdem Meretricibus intimam ſi aliquem cuiuſcumque ſint ſtatus , & conditionis ſeu diem , ſeu per noctem admittant domi toto tempore q drage

Digitized by Google

dragesimæ vſque ad Octauam Paſchatis ; & tempore Aduentus vſque ad diem Epiphaniæ incluſiuè , neque illis facilè ſuffragabitur coloratus titulus finis honeſti.

Quod ſi quis non obſtante hac noſtra conſtitutione deprehenſus alicubi fuerit cum aliqua perditarum eiuſmodi fœminarum vel ſaltem conuictus., quod fuerit cum illa , volumus vt in pœnam delicti , & contumaciæ eijciatur in exilium à Ciuitate , & Diœceſi , præter alias etiam grauiores, quas reſeruamus arbitrio noſtro infligendas pro qualitate delicti , & perſonarum ; ſaluis nihilominus alijs quibuſcumque edictis , quæ ſuper hac materia emanarunt alias , aut emanabunt impoſterum à noſtro Tribunali ; quibus ijſdem pœnis adijcimus , & ſubiacere volumus alios quoſcumque ſeu viros , ſeu fœminas , de quibus lenocinij vitio conuictos ſeu conuictas eſſe conſtiterit.

TITVLVS XXXVIII.

De Cauponibus, & Tabernarijs.

CAPVT I.

AD tollendas occaſiones rixarum , diſcordiarum, & ſcandalorum , quæ facile ſuboriuntur , ex ludis alearum taxillorum , aliorumque eiuſmodi, ſi permittantur in publicis quibuſdam hoſpitijs, id circo Cauponibus omnibus , Tabernarijs , & Locandarijs ſtrictè præcipimus , ne in ſuis tabernis apothecis , & domibus quibuſcumque permittant , aut alia ratione , etiam ſub quouis prætextu honeſtæ recreationis patiantur exerceri ludos prædictos. Meretrices nullas ad eorundem hoſpitia diuertentes admittant , niſi aduenas dum iter agunt , & ſolius itineris cauſa. Propterea pernoctare volentes caueant , ne vltra tres dies , vt tit. precedenti monuimus hoſpitari permittant , quod ſi in aliquo eiuſmodi inobedientes fuerint huic noſtræ conſtitutioni, præmonitos volumus , ne conquærantur , ſi ſubijciemus pœnis , quas Nobis reſeruamus.

Digitized by Google

CAPVT II.

IS diebus, quibus ex præcepto Eccleſiaſtico Ieiunia decernuntur, præſertim toto tempore quadrageſimæ, caueant prædicti, Caupones, Tabernarij, & Locandarij, ne vllius generis carnes comedendas apponant, aut domi retineant; quin etiam delatas ab alijs, neque ipſi vllatenus, ſeu coquant, ſeu alio quocumque modo comedentibus præparent, vel ſi præparatæ iam deferantur, comedi non patiantur, proteſtando conſtitutionem hanc noſtram, & commi-nationem pœnæ, ſub qua prædicta interdicimus, niſi forte iiſdem exiberetur ab aliquo prædictorum aduenarum, hoſpitum &c. licentia Medici, & Parochi, à Vicario noſtro Generali confirmata, per Diœceſim verò Parochi ſaltem, comedendi videlicet carnes vetitas prædictis diebus.

CAPVT III.

CVrent omni cum diligentia vt ſtatim Parochum moneant, ſi quem hoſpitum apud ipſos morantem ægrotare contigerit, vt maturè conſulat, tàm de Sacramentis, ſi opus fuerit, quàm de conſilijs, & rebus alijs neceſſarijs, & opportunis ad ſalutem ſpiritualem infirmi. Si verò ita pauperem animaduerterint, vt vel nullatenus, vel ægrè nimis ferre poſſit onus expenſarum tum pertinentium ad hoſpitium, tum ad valetudinis curationem, iiſdem ſummopere commendamus, vt memores Chriſtianæ pietatis recipi curent in aliquod Ciuitatis Xenodochium, & ſi quos inuenerint nodos difficultatum, quos ipſi ſoluere non poſſint deferant ad Vicarium noſtrum Generalem, ad quem ſpectabit ita conſulere ægrotantis paupertati, & miſeriæ, vt nihil omittatur officii, quod ad Chriſtianam pietatem ſpectare iudicauerit.

CAPVT IV.

IN excipiendis aduenis diuerſis, diſtribuendiſque cubiculis habitationis curent in quantum fieri poteſt, ne in vno eodemque cubiculo viri ſimul, ac mulieres, ſeu Sacerdotes, & laici, ſeu ſæculares, & religioſi collocentur, ſed in quantum fieri potuerit pro diuerſo ſtatu perſonarum cubicula diuerſa diſtribuat. Inſuper curent præſtari ab omnibus

nibus

nibus famulis debita omnibus officia bene morigeratæ ſeruitutis, inſuper verò Sacerdotibus, & religioſis debita obſequia, & reuerentiam. Meminerint verò etiam ipſos teneri ad bene educandos miniſtros, & famulos ſibi ſubordinatos in ratione viuendi ad normam Chriſtianæ pietatis, ne illis permittant ſermones, aut mores minus honeſtos, aut ſcandaloſos, qua in re ſciant onerari conſcientiam ipſorum niſi omni cum diligentia curent vt corrigantur, & emendentur.

CAPVT V.

QVod ſi audierint in ſuis tabernis, & domibus miſceri diſputationes ſpectantes ad dogmata fidei Chriſtianæ, moneant ſic diſputantes de Conſtitutione hac noſtra Synodali, qua iuſtis de cauſis hoc interdicimus, ne permittatur. Nolentes parere monitis eorundem deferant ad Nos, ſeu ad Vicarium noſtrum, vt ſi qua in re opus fuerit de validiori remedio conſulamus.

Multo ſeuerius iiſdem præcipimus, vt ſi quem audierint, vel domeſticum famulum, vel alium quemcumque Miniſtrum, hoſpitem, aut aduenam cuiuſcumque generis, & conditionis ſit audentem blaſphemare, ſtatim denuncient ad Vicarium noſtrum Generalem ſic delinquentes ſub grauibus pœnis ad quas damnabimus ſi fuerint inobedientes, aut deſides, ſaluis alijs in ſuo robore permanſuris, quæ in alijs edictis ſuper hoc à tribunali noſtro emanarunt.

CAPVT VI.

AD tollendas verò ſimulatas excuſationes ignorantiæ, per quam ſic allegatam homines cæteroqui nullius litteraturæ vim noſtræ Conſtitutionis eludant, Parochis omnibus, & Curatis huius noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis præcipimus, vt infra ſpatium dierum octo poſt Synodum editam, & promulgatam prædictos Locandarios, Tabernarios, & Caupones in ſuis parochijs exiſtentes admoneant, eandemque Conſtitutionem, quoties opus fuerit, iterum reducant in memoriam illorum, additis etiam paternis admonitionibus, ſi quas neceſſarias, aut opportunas iudicauerint.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XXXIX.

De Iudicibus Synodalibus.

CAPVT I.

VT expediri facilius poſſint, quæ multa congr gantur interdum iura cauſarum, quibus omr bus non ſatis prouiſum eſſe videtur, ſi vni a alteri examinandæ omnes deuoluantur, idcir adhærentes Decret. Concil. Trident. Iudices d claramus, quibus delegari poſſint examinanda prædict cauſarum iura. Videlicet.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Marcum Bomplanum Archidiaconum.
Admodum R. D. Raimundum Ferrettum Archidiaconun Coadiutorem.
Admodum R. D. Ioannem Georgium Mainardum Arcl presbyterum.
Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum.
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theolc

Pro Examinatorum munere exercendo.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Marcum Bomplanum Archidiaconum.
Admodum R. D. Raimundum Ferrettum Archidiaconun Coadiutorem.
Admodum R. D. Ioannem Georgium Mainardum Archipı sbiterum.
Admodum R. D. Franciſcum de Carolis Primicerium.
Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum.
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theolc
Admodum R. D. Antonium de Carolis Canonicum Pœ tentiarium.
Admodum R. P. Abbatem pro tempore Monaſterij S. Ioan Baptiſtæ Congregationis Canonicorum Lateranenſium.

Admo-

Admodum R. P. Rectorem pro tempore Collegij Societ. Ieſu.
Admodum R. P. Rectorem pro tempore Scholarum Piarum.
Admodum R. P. Priorem pro tempore Conuentus S. Dominici.
Admodum R. P. Priorem pro tempore Conuentus S. Auguſtini.
Admodum R. P. Guardianum pro tempore Conuentus S. Franciſci Min. Obſeru.
Admodum R. P. Guardianum pro tempore Conuentus Sancti Franciſci Min. Conuent.
Admodum R. P. Priorem pro tempore Conuentus B. Mariæ Carmel. Calceat.
Admodum R. P. Priorem pro tempore Conuentus Carmelit. Diſcalceat.
Admodum R. P. Confeſſarium pro tempore Eminentiſſimi noſtri Epiſcopi.
Admodum R. P. Lucium à Sancto Iuſto Minor. Obſeru.
Admodum R. P. Magiſtrum Antonium Antoninum Regentem Studiorum Min. Conuent.
Admodum R. P. Hippolitum Bagnolinum Ord. Prædicat.
Admodum R. P. Magiſtrum Andream Iulianellum Ord. Carmel. Calceat.

Vicarios Foraneos.

R. D. Plebanum Siroli.
R. D. Plebanum Pulueriſij.
R. D. Plebanum Falconarij.
R. D. Plebanum Camerani.
R. D. Plebanum Montisſecuri.

Deputatos ad Seminarium, quo ad mores, & adminiſtrationem.

Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum.
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.

Pro Venerabili Capitulo.

Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theolog.

Pro

Pro Clero Ciuitatis.

R. D. Ioannem Baptiſtam Celſum.

Pro Clero Diœceſis.

R. D. Petrum Mariam Doriam.

Deputatos ad Chorum Cathedralis.

Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theolo
Admodum R. D. Antonium de Carolis Canonicum Pœn tentiarium.
Admodum R. D. Franciſcum Picchium Canonicum.

Deputatos ad Chorum Collegiatæ.

Admodum R. D. Præpoſitum eiuſdem Eccleſiæ.
R. D. Canonicum Dominicum Vernatam.

Ad Muſicam Cathedralis.

Admodum R. D. Franciſcum Bazarrium Canonicum.
Admodum R. D. Nicolaum Maiù Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Honoratum Canonicum.

Ad Sacriſtiam, & Capſam Mortuorum.

Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theol
Admodum R. D. Franciſcum Picchium Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Pighettum Canonicum Coadiutore

Ad Doctrinam Chriſtianam.

Admodum R. D. Franciſcum Bazzarrium Canonicum.
Admodum R. D. Nicolaum Maiù Canonicum.
Admodum R. D. Marcellum Mazzeum Canonicum.
R. D. Dominicum Iſolanum Congregationis S ćti Philippi Nerij.

R. D. Ioan

R. D. Ioannem Baptiſtam Celſium Curatum Sancti Nicolai.

R. D. Petrum Mariam Dorium Curatum S. Mariæ Miſericordiæ.

Ad Montem Pietatis.

Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum.
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Antonium de Carolis Canonicum Pœnitentiarium.

Ad Cataſtrum bonorum Eccleſiaſticorum.

Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum.
Admodum R. D. Franciſcum Bazzarium Canonicum.
Admodum R. D. Alexandrum Nappium Canonicum.
Admodum R. D. Sanctem de Iudicibus Canonicum Coadiutorem.

Ad Sacras Reliquias oſtendendas.

Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Franciſcum Bazzarrium Canonicum.
Admodum R. D. Franciſcum Picchium Canonicum.

Ad Legata pia, & Hoſpitalia.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theologũ.
Admodum R. D. Nicolaum Maiù Canonicum.

R. D. Ioannem Baptiſtam Celſium Curatum Sancti Nicolai.

R. D. Ioannem Baptiſtam Leonum Curatum Sancti Iacobi.

R. D. Franciſcum Mariam Fabrum Curatum Sanctæ Mariæ Gratiarum.

Pro Eccleſiaſticis, & Sacris Ritibus.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Marcum Bomplanum Archidiaconum.
Admodum R. D. Ioannem Georgium Mainardum Archipr sbiterum.
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Franciſcum Picchium Canonicum.
Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum.
R. D. Ioſeph Hiparchum.

Pro Congregatione Monialium.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Marcum Bomplanum Archidiaconum.
Admodum R. D. Ioannem Georgium Mainardum Arch presbiterum.
Admodum R. D. Ioannem Pighettum Canonicum:
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theolo
R. D. Ioannem Baptiſtam Leonum Curatum Sa ĉti Iacobi.
Confeſſarios, & Syndicos pro tempore.

Pro Congregatione aliorum locorum Piorum.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Marcum Bomplanum Archidiaconum.
Admodum R. D. Ioannem Georgium Mainardum Archip sbiterum.
Admodum R. D. Chriſtophorum Sturanum Canonicum.
Admodum R. D. Ioſeph Gauazzenum Canonicum Theolo
Admodum R. D. Antonium de Carolis Canonicum Pœ tentiarium.
R. D. Ioannem Baptiſtam Leonum Curatum S ĉti Iacobi.
Officiales, & Sindicos pro tempore dictoru locorum Piorum.

OFFI-

OFFICIALES

IN SYNODO.

Iudices querelarum, & executionum.

Admodum R. D. Vicarium Generalem pro tempore.
Admodum R. D. Marcum Bomplanum Archidiaconum.
Admodum R. D. Ioannem Georgium Mainardum Archipreſbiterum.

Promotorem.

R. D. Ciriacum Montinum.

Secretarium.

R. D. Ioannem Andream Bonandrinum.

Teſtes Synodales.

Admodum R. D. Petrum Iacobum Fauillam Abbatem Plebanum Camerani.
R. D. Ciprianum Senilem Plebanum Pulueriſij.
R. D. Fulgentium Continum Plebanum Varani.
R. D. Dominicum Paſqualinum Plebanum Montiſſecuri.
R. D. Ioſeph Hiparchum.
R. D. Nicolaum Pileſtrum.
R. D. Franciſcum Scalamontium.
R. D. Vincentium Scalamontium.

Præfectos Cœremoniarum.

R. D. Antonium Franciſcum Pelagum.
R. Ioannem Baptiſtam Bonandrinum.

Digitized by Google

Oſtiarios.

R. Petrum Mariam Scandolum Sacriſtam huius Cathedralis.
R. Sanctem Berardum Sacriſtam huius Cathedr.

Notarium.

Ioannem Franciſcum Brancadorum.

TITVLVS XXXX.

De Conſtitutionbus Synodalibus.

CAPVT I.

PRÆFATAS Conſtitutiones, quas in Synodo hac noſtra maturis conſilijs diligenter examinatas ſanciuimus, & promulgauimus ſubijcimus in primis omnes, & ſingulas obedientiæ S. Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matris, ac Magiſtræ eiuſdem auctoritate corrigendas, & emendandas, ſi qua in re iudicaret emendatione, aut correctione indigentes. Quod ſi omnia eius iudicio probentur, nihil obſtante in contrarium, declaramus, ac volumus, vt ab omnibus executioni mandentur ſub pœnis, vbi appoſitæ non fuerint, arbitrio noſtro imponendis; in dubijs verò, quæ ex diuerſa interpretatione verborum ſuboriri poſſent, reſeruamus Nobis, vnà cum facultate auctoritatem declarandi ea, quæ declaratione indigerent.

TITV-

TITVLVS XXXXI.

De Concluſione Synodi.

CAPVT I.

ABSOLVTAM Diuina protegente gratia hanc noſtram Diœceſanam Synodum dimittimus, cumque omnia, quæ in ea Decreta, & Statuta ſunt ad laudem Omnipotentis Dei, Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, & Omnium Sanctorum Patronorum noſtrorum peracta exiſtant, propterea ſine gratiarum actione non diſcedendum eſſe putamus; futuram interim Synodum celebrandam peculiari noſtro edicto indicendam congruo tempore reſeruamus.

ACCLAMATIONES

CLERI IN SYNODO.

Archid. OMNIPOTENTI Deo in Perſonis Trino, & in eſſentia Vnico miſericordiarum Patri, & totius conſolationis Fonti gratia, honor, & immenſa laus.

Clerus. Sit Deo gratia, ſit laus, ſit honor, & omni tempore deſcendat ſuper nos miſericordia, & gratia eius.

Archid. Beatiſſimo Papæ Domino Noſtro Clementi vniuerſalis Orthodoxæ Eccleſiæ Paſtori, Chriſti Vicario vniuerſi Orbis obedientia, longa vita, & proſperitas.

Clerus. Conſeruet Dominus Beatiſſimum Clementem Pontificem, & Beatum faciat in inimicos eius.

Archid. Omnibus Principibus Chriſtianis vera Pax, & in hoſtes Sanctæ Eccleſiæ pugnantibus victoria.

Clerus. Faciat potentiam in brachio eorum Dominus, & illorum conterat inimicorum capita.

Archid. Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo D. Ioanni Nicolao Cardinali Epiſcopo noſtro pijſſimo ſanitas, felicitas, in aduerſis fortitudo, & in Paſtorali vigilantia Dei Omnipotentis aſſiſtentia.

Clerus. Protegat Dominus Ioannem Nicolaum Cardinalem Antiſtitem noſtrum, & pijſſima gratia foueat, & defendat, vt ad proſpera gregem ſuum, & ad cæleſtia regna perducat.

Archid. Vniuerſo Clero, & Populo Anconitano, totique Diœceſi Dei mandata facienti in omnibus benedictio, abundantia, pax, & in Fide conſtantia.

Clerus. Populum ſuum Dominus protegat, & reſpiciat in omnes ne pereamus in tremendo iudicio.

Archid. Sit nobis Deus Turris fortitudinis, & intercedat pro nobis Virgo Beatiſſima Dei Genitrix Maria cum Beato Cyriaco Martire, atque Pontifice Patrono noſtro cum omnibus ſanctis.

Clerus. Muniat nos Dominus armatura fidei, & Beatiſſima Virgo Dei Genitrix Maria cum Beato Cyriaco Martire, atque Pontifice Patrono noſtro cum omnibus ſanctis pro nobis intercedat, & oret. Amen. Amen.

TABVLA

TABVLA TITVLORVM,

Qui continentur in Synodo.

Titulus I.	DE Fidei profeſſione, & Cultu.	pag. 7
Titulus II.	De Grecis, & eorum Ritibus.	p. 9
Titul. III.	De Sacramentis in Genere.	p. 11
Titul. IV.	De Sacramento Baptiſmi.	p. 13
Titul. V.	De Sacramento Confirmationis.	p. 16
Titul. VI.	De Sacramento Euchariſtiæ.	p. 17
Titul. VII.	De Sacramento Pœnitentiæ.	p. 20
Titul. VIII.	De Sacramento Ordinis.	p. 24
Titul. IX.	De Sacramento Extremæ Vnctionis.	p. 27
Titul. X.	De Sacramento Matrimonij.	p. 29
Titul. XI.	De Doctrina Chriſtiana.	p. 32
Titul. XII.	De Catholica Verbi Dei prædicatione.	p. 34
Titul. XIII.	De Celebratione Miſſarum.	p. 36
Tit. XIV.	De Hebræis, & Infidelibus, eorumque conſorto vitando.	p. 40
Titul. XV.	De Blaſphemia.	p. 42
Tit. XVI.	De Magicis artibus, Veneficijs, Incantationibus ſortilegijs vaniſque ſuperſtitionibus.	p. 43
Tit. XVII.	De Exorciſmis.	p. 44
Tit. XVIII.	De Sacris Reliquijs, & Imaginibus.	p. 46
Tit. XIX.	De Feſtis diebus.	p. 50
Titul. XX.	De Indulgentijs.	p. 51
Tit. XXI.	De Sacroſanctis Eccleſijs.	p. 52
Tit. XXII.	De Confraternitatibus Laicorum, & Hoſpitalibus.	p. 57
Tit. XXIII.	De Funeribus, & Exequijs, & Sepulturis.	p. 61
Tit. XXIV.	De Parochis, eorumque Officio, & reſidentia.	p. 67
Tit. XXV.	De Decimis.	p. 73
Tit. XXVI.	De Vita, & Honeſtate Clericorum.	p. 75
Tit. XXVII.	De Dignitatibus, Capitulis, & Canonicis.	p. 80
T. XXVIII.	De Sacræ Scripturæ Lectione.	p. 82

Digitized by Google

Titul.	XXIX.	De Bonis Eccleſiaſticis, eorumque redditibus, & Iuribus conſeruandis.	p. 85
Titul.	XXX.	De Proceſſionibus.	p. 89
Titul.	XXXI.	De Monialibus.	p. 92
Titul.	XXXII.	De Monte Pietatis.	p. 95
Titul.	XXIII.	De Medicis.	p. 97
Titul.	XXIV.	De Ludi Litterarij Magiſtris.	p. 99
Titul.	XXXV.	De Quæſtoribus Eleemoſynarum.	p. 101
Tit.	XXXVI.	De Vſuris, & Vſurarijs.	p. 103
Tit.	XXXVII.	De Concubinarijs, & Meretricibus.	p. 105
Tit.	XXXVIII.	De Cauponibus, & Tabernarijs.	p. 107
Titul.	XXXIX.	De Iudicibus Synodalibus.	p. 110
Titul.	XL.	De Conſtitutionibus Synodalibus, eorumque obſeruantia.	p. 116
Titul.	XLI.	De Concluſione Synodi, & Indictione futuræ.	p. 117

Digitized by Google

TENOR PROFESSIONIS FIDEI.

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. vtitur videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas: Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurectionem mortuorum: Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vmquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor.

Digitized by Google

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, vna cum Anima, & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi: Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari.

Similiter, & Sanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro Nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco:

Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cæte-

Digitized by Google

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, & anathematizo.

Hanc veram, & Catholicam fidem extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit.

Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Forma Iuramenti præſtandi.

EGo N. promitto, & iuro, quod fidelis, & obediens ero S. R. E. ac Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo N. eiuſque mandata ſeruabo, & ab alijs quantum in me fuerit ſeruari curabo, quodque ſeruiam Eccleſiæ N. tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & reſidebo ſeruiendo dictæ Eccleſiæ, & quod non relinquam dictam Eccleſiam, nec me transferam ad aliam ſine licentia præfati Eminentiſſimi D. Epiſcopi, & libertatem Eccleſiæ conſeruabo, & defendam, eique vtilia procurabo, nec alienabo res ipſius Eccleſiæ; immò alienatas per prædeceſſores meos pro poſſe meo reuocabo, & inuentarium omnium iurium, ac actionum dictæ Eccleſiæ intra annum proximum faciam, & quod nihil illicitum dedi pro adipiſcendo dicto beneficio. Vocatus ad Synodum veniam, niſi Canonico fuero impedimento detentus. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Forma peculiaris profeſſionis fidei pro Græcis.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. vtitur. Videlicet,

CRedo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, factore Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibiliun Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei Vnig nitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum d Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. G nitum non factum conſubſtantialem Patri per quem omn facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtra ſalutem deſcendit de Cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu Sa cto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt: Crucifixus etia pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & r ſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in C lum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cu gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit nis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viſicantem. qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Fil ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Pr phetas, & vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam E cleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem pecc torum, & expecto Reſurrectionem mortuorum, & Vita venturi ſæculi. Amen.

Credo etiam ſuſcipio, atque profiteor ea omnia quæ ſacr œcumenica Synodus Florentina ſuper vnione Occiden lis, & Orientalis Eccleſiæ definiuit, & declarauit; vide cet, quod Spiritus Sanctus à Patre, & à Filio, æternali eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet Patre ſimul, & Filio, & ex vtroque æternaliter tamqu ab vno Principio, & vna ſpiratione procedit. Cum id, qu Sancti Doctores, & Patres dicunt etiam per Filium pro dere Spiritum Sanctum, ad intelligentiam tendat, vt p hoc ſignificetur Filium quoque eſſe ſecundum Græcos q dem cauſam, ſecundum Latinos verò principium ſubſta tiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem. Cumq; omnia, q ſunt Patris, ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo p ter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus Sanctus proce ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æt naliter etiam genitus eſt. Illamq; verborum illorum Fil que explicationem veritatis declarandæ gratia, & immin te tunc neceſſitate licitè, & rationabiliter Symbolo fuiſ appoſitam.

Item in Azimo, ſiue fermentato pane triticeo Corpus Chr veraciter confici, Sacerdoteſque in Altari ipſum Dom

Corpu

Corpus conficere debere, vnumquemq; ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ ſiue Occidentalis, ſiue Orientalis conſuetudinem.

Item ſi verè Pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis Purgatorij poſt mortem purgari; & vt à pœnis huiuſmodi releuentur prodeſſe eis Fidelium viuorum ſuffragia: Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta, illorumq; animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt ſunt purgatæ in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & vnum ſicuti eſt, meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere pœnis tamen diſparibus puniendas.

Item Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in actis œcumenicorum conciliorum, & Sacris Canonibus continetur.

Inſuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ decretis Sacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, etiam vltra contenta in ſupradicto Fidei Symbolo profitenda, ac recipienda propoſuit, atque præſcripſit, vt ſequitur Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum recipiam, & interpretabor.

Profi-

Profiteor quoq; ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta i
uæ Legis à Ieſu Chriſto D. N. inſtituta, atque ad ſalut
humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſci
cet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœ
tentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrim
nium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Cc
firmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari no
poſſe.

Receptos quoq; & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus i
ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni admi
ſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato Originali, & Iuſtific
tione in Sacroſancta Trident. Synodo definita, & decla
ta fuerunt amplector, recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deum verum proprium,
propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis, atqu
in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realite
& ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, vna cum Anim
& Diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; conu
ſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſt
tiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica I
cleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integru
Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detent
Fidelium ſuffragijs iuuari, ſimiliter, & Sanctos cum Ch
ſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſq
orationes, Deo pro nobis offerre, atque eorum reliqu
eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper V
ginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retine
das eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationen
impertiendum.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia i
lictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano Populo maxin
ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſia
omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; R
manoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucc
ſori ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam, ſponde
ac iuro.

Cętera

Cetera item omnia à Sacris Canonibus œcumenicis Concilijs, & præcipuè à Sacroſancta Trid. Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, & ſchiſmata, atque hæreſes quaſcumq; ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno reijcio, & anathematizo, & abiuro.

Hanc veram, & Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, conſtantiſſimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro, ſit me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Lettera della Sacra Congregatione del Sant'Offitio diretta al Veſcouo d'Ancona, ſopra il non ammettere Greci all'eſercitio de gl' Ordini quando venghino da luoghi ſoſpetti.

Molt'Illuſtre, e Reuerendiſſimo Signore

CVM Auctores nonnullis ſcriptis ſuis, etiam typis editis, aſſeruerint, Sacerdoti pro alio Miſſam recepta eleemoſyna celebranti licitum eſſe, aliam eleemoſynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, ſeu valoris eiuſdem Sacrificij ipſimet celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) applicet; ac proinde hunc caſum ſub Decreto Sacræ Congregationis Concilij prohibente duplex pro vnica Miſſa ſtipendium, ſeu eleemoſynam recipi, non eſſe compræhenſum.

Propterea Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. S. R. Eccleſiæ Cardinalium Concil. Trid. Interpretum, quæ auctoritate ſibi per Apoſtolicam Sedem ſpecia-

Digitized by Google

ſpecialiter attributa, ſedulò curat, ne à Sacerdotibus circa celebrationem ſacroſanctæ Miſsæ ſacrificij, vnde in nos vberrima diuinæ liberalitatis munera deriuantur, auaritiæ labes vlla, aut ſuſpicio contrahatur, antedictam aſsertionem maturè examinauit, eademque prorſus reprobata ſub die 25. Ianuarij 1659. cenſuit.

Nulli Sacerdoti licitum eſse præfata ratione, ſiue prætextu aliam eleemoſynam accipere, præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Miſsam offerre tenetur; ac proinde caſum hunc eſse compræhenſum in Decretis aliàs per eandem Sac. Congregationem Concilij editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro vnica Miſſa recipiatur.

Quam Sacræ Congregationis ſententiam ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Alexandrum Septimum relatam, Sanctitas ſua ſub die 29. eiuſdem Menſis approbauit, & Decretum publicari, atque ad Epiſcopos, & Generales Regularium Ordinum tranſmitti iuſſit, vt ipſi doctrinam huiuſmodi per ſuos Pœnitentiarios, & Confeſſores, ac Lectores reſpectiuè inſinuari, doceri; atque in tractatibus moralibus per eoſdem imprimendis euulgari, Paſtorali vigilantia curent.

F. CARD. PAVLVTIVS PRÆF.

C. de Vecchis Epiſcopus Cluſinus Sac. Congreg. Secr.

CON-

CONSTITVTIO

CONTRA SOLLICITANTES

In Confeſſionibus

GREGORIVS PAPA XV.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

VNIVERSI Dominici gregis curam, quamquam immeriti cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conſeruetur immunis, multoque maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab ijs auertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne quod Euangelica ſcripta Nos admonent, ſale infatuato non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum poſſit vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſtifideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas confeſſiones deputatus Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex Cœleſti Medico infernalis veneficus, ex Patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: Idcircò Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diaboli inſidijs arcendis, certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantùm ex alto conceditur, prouidendum duximus. Aliàs ſiquidem à fel. record. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanarunt Litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſis in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cum ſicut nuper, non ſine animi noſtri

Digitized by Google

noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiue etiam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit Domino Deo, & Saluatori Noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt Confeſſiones alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & animarum perniciem Chriſtifidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè ſentiunt Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſum, de præmiſſis quomodolibet diffamatos tàm ſæculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis, Conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tàm ſuper præmiſſis, quàm ſuper Fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitates pro vt Iuris fuerit punias, eas etiam ſi, & prout de Iure fuerit faciendum debita præcedente degradatione, ſæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam Iuramento, & Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis ſub quibuſ-

X cumque

cumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes ac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus Noſtri Anno Secundo. Igitur vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obſeruentur, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum præinſertas litteras huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, illaſque non ſolùm in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea ne futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes tàm ſæculares, quàm quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum regulares, cuiuſcumque Dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis, in Confeſſionario, aut in loco quocumque, vbi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel procurare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infra, puniantur. Et propterea omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum

rum

rum vniuerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territorijs per has noſtras litteras etiam priuatiuè, quo ad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officij Inquiſitionis huiuſmodi Conſtitutiones, Priuilegia, Conſuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi regulares fuerint, exilij damnationis ad triremes, & carceris etiam in perpetuum abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant: eos quoque ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant, dantes etiam facultates Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tàm enorme, & Eccleſiæ Dei tàm pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum (cum difficilis ſit probationis) teſtibus etiam ſingularibus concurrentibus, præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſæculari, vt præfertur, Reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſsor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Mandantes omnibus Confeſsarijs, vt ſuos Pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinarijs prædictis. Quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel Pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, vt ſupra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad Valuas Baſilicarum S. Ioan-

 nis

Digitized by Google

nis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1602. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

S. CARDINALIS S. SVSANNÆ.

Litteræ bonæ memor. D. Cardinalis Mellini ſuper eadem Conſtitutione directæ ad fel. record. D. Cardinalem Creſcentium Epiſcopum Vrbenetanum.

A T E R G O.

All'Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Sig. mio Oſſeruandiſs.

IL SIG. CARDINAL CRESCENTIO.

O R V I E T O.

Illuſtriſſimo, e Reuerendiſſimo Signor mio Oſſeruandiſs.

DOpò eſſerſi hauuta longa, e matura conſideratione ſopra il dubbio ſignificato da più bande, ſe i penitenti ſiano obligati à denunciare i Confeſſori, da quali ſono ſtati ſollecitati nel luogo, ò atto della Confeſſione, quando hanno conſentito alla ſollecitatione; Noſtro Signore, e queſti miei Signori in Congregatione tenuta auanti Sua Santità à 25. di Luglio paſſato, dopò hauer anco inteſo il parere d'vna particolare Congregatione deputata per queſt'effetto, hanno riſſoluto, che qual ſi voglia penitente è tenu-

è tenuto à denunciare il Confeſſore dal quale ſarà ſtato ſollecitato nel luogo, ò atto della Confeſſione, ancorche gl' habbia conſentito; e non è tenuto à propalare il proprio conſenſo: ne ſopra ciò s'interroghi dal Veſcouo, ò Inquiſitore, ò loro Vicarij, auanti de quali deporrà; ne meno il Confeſſore denunciato, procedendoſi poi contro di lui nei conſtituti, che ſe le faranno, s'interroghi ſopra detto conſenſo; & in caſo che lui voleſſe dirlo, non ſi ſcriua il ſuo detto, come coſa in ordine alla perſona ſollecitata non ſpettante all'Officio della Santa Inquiſitione. Le parti dunque di V. S. Illuſtriſſima ſono di ſignificare la detta riſolutione à Confeſſori, & incaricarghene ſtrettamente l'oſſeruanza, acciò nei caſi, che occorreranno alla giornata conforme al tenore della Conſtitutione publicata da Gregorio Decimoquinto Santa mem. contro i Confeſſori ſollecitanti, ſignifichino à i penitenti l'obligo, che hanno di denunciare i Confeſſori, da quali ſaranno ſtati ſollecitati; & hauendoli conſentito, e facendo difficoltà di ſcoprire il proprio conſenſo conforme alla riſolutione fatta, li dichino apertamente, che non ſono tenuti à propalare il detto conſenſo, e che tanto eſſi Penitenti, quanto i Confeſſori ſollecitanti procedendoſi contro di loro; non ſaranno di ciò interrogati, e dicendolo da ſe non ſi ſcriuerà, ne riceuerà il loro detto; e quando il Penitente tuttauia perſiſteſſe nella medeſima renitenza; Noſtro Signore ſi contenta, che dal Veſcouo, ò dall' Inquiſitore ſi dia auttorità al Confeſſore di riceuer per ſcrittura, e con giuramento la denuncia per poterla ſubbito portare à chi hauerà data l'auttorità di pigliarla. E ſe oltre le coſe ſudette occorrerà altro caſo graue, per il quale non ſi poſſa il Penitente indurre a denunciare, vuole Sua Santità, che ſe ne ſcriua quà, e ſi aſpetti la riſpoſta, & in tanto ſi ſopraſeda nella aſſolutione, e tanto ſi contenterà V. S. Illuſtriſſima di fare oſſeruare nella ſua Dioceſe, facendo regiſtrare la preſente ne gl'atti di coteſta Corte per l'informatione ſua, e de ſuoi Succeſſori, li quali doueranno hauer mira, che la preſente riſolutione riguarda ſolo quei Penitenti, che per hauer conſentito fanno difficoltà di denunciare; mà quei, che non hanno conſentito, ò hauendo conſentito non ſono in ciò renitenti, non deue il Confeſſore porre difficoltà alcuna, mà laſciare, che indiferentemente, e liberamente ſodisfaccino all'obligo, che hanno di

denon-

denonciare conforme alla detta riſſolutione. E quì à V. S. Illuſtriſſima humiliſſimamente bacio le mani.
Di Roma li 24. di Settembre 1624.

Di V. S. Illuſtriſs. e Reuerendiſs.

Humiliſs. & affettionatiſs. Seruitore

Il Cardinal Mellino.

Illuſtriſs. e Reuerendiſs. Signor mio Oſſeruandiſs.

ACciò più fondatamente ſi proceda contro li ſollecitanti in Confeſſione, queſta Sacra Congregatione è venuta in parere, che per il detto d'vna ſola donna, non ſi facci conſtituire, ò carcerare il preteſo reo ſenza darne prima quà auuiſo con la relatione della qualità della donna, del denunciante, e del denunciato, & all'hora ſi ſcriuerà ſe ſi debba, ò nò procedere à conſtituirlo, & carcerarlo. Hò voluto farlo ſapere à V. S. Illuſtriſsima acciò reſti ſeruita di far eſſeguire in conformità; mentre Io per fine humiliſsimamente li bacio le mani.
Di Roma li 17. di Luglio 1627.

Di V. S. Illuſtriſs. e Reuerendiſs.

Humiliſs. & affettionatiſs. Seruitore

Il Cardinal Mellino.

BVLLA

BVLLA

IN COENA DOMINI

APPONENDA IN SEDIBVS Confeſſionalibus.

GREGORIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & ſollicitudo, cùm in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tùm potiſſimùm in Catholicæ Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda maximè elucet: Nimirum vt Fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumuentionem erroris; ſed omnes accurrant in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, neque ſe in huius vitæ ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat; ſed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam vnius corporis membra ſub Chriſto capite, eiuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri hodierna die, quæ anniuerſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſcipline gladium, & ſaluta-

Digitized by Google

ria iuſtitiæ arma per Miniſtrum Summi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & Animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm Fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iuſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra quoſcumque Huſſitas, Vuiclephiſtas, Luteranos, Zuinglianos, Caluiniſtas, Vgonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana Fide Apoſtatas, & ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos, quocumque nomine cenſeantur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant, eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes ſine Auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore; nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cuiuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint; Vniuerſitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur interdicimus, ab ordinationibus ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad Vniuerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel fauore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, & Latrunculos maritimos diſcurrentes mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario, vſque ad Terracinam: Ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque Nauibus tempeſtate, ſeu in tranſuerſum, (vt dici ſolet) iactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta in mari, vel in littore inuenta cuiuſcumque generis bona, tam in noſtri Tyrreni, & Adriatici, quam in
cæteris

cæteris cuiuſque maris Regionibus, & Littoribus ſurripiunt. Ita vt nec ob quodcumque priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis noua pedagia, ſeu Gabellas, præterquam in caſibus ſibi à Iure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Falſarios Litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, ac ſupplicationum gratiam, vel iuſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem Romani Pontificis Signaturam; nec non falsò fabricantes litteras Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes huiuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos per noſtras, ſiuè huius Sanctæ Sedis Sententias expreſsè, & nominatim declaratos; deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quam alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant: nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, vel fauorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt; ac etiam eos, qui

ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios, cuiuſcumque fuerint Ordinis, præeminentiæ, conditonis, & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quauis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedente ab eadem ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt detinent. Nec non illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel noſtris Iudicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Vrbem cauſa deuotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, in his dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territorijs, Terris, ſeu Dominijs eijcientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel fauorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſæculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negocijs recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, aduocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper dictis cauſis, vel negocijs deputatos, occaſione cauſarum, vel negociorum huiuſmodi, occidunt, ſeu quomodolibet percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcumq; præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

§. 13.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares cuiuſcumque dignitatis, qui prætexentes Friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione Litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis tàm gratiam, quam iuſtitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, à Nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuncijs, Præſidentibus Palatij Noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ, Auditoribus, Commiſſarijs, alijſque Iudicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias ſæculares, & Laicam Poteſtatem recurrunt, & ab ea inſtante etiam fiſci procuratore, vel aduocato, appellationes huiuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt; quiue illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari; aut ne tabelliones, & Notarij ſuper huiuſmodi litterarum, & proceſſuum executione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant; ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios executores, & ſubexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eijciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios publicè, vel occultè, quiue aliàs quibuſcumque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotijs proſequendis, ſeù gratijs, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur directè, vel indirectè, prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe aut notarios, ſeu tabelliones, vel alios quomodolibet retinere præſumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris, alijſque Iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illarumue curſum, & audientiam, ac

perſonas, Capitula, Conuentus, Collegia cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tamquam Iudices interponunt. Quiue partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui per ſtatutum, vel alias compellant, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, vel executorialium proceſſuum, ac Decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, vt dicunt, ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiam ſi talia committentes fuerint præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Conſiliarij, Ordinarij, vel Extraordinarij, quorumcumque Principum ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij fuerint.

§. 15. Quiue ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque Perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, Collegia, Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum præter Iuris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæſito colore; nec non qui Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alias Decreta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouismodo reſtringitur, ſeu Noſtris, & dictæ Sedis, ac quorumcumque Eccleſiarum Iuribus, quomodolibet directè, vel indirectè tacitè, vel expreſsè præiudicatur.

§. 16. Nec non, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſ-

cumque

cumque Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè vel indirectè carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non conſanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quò minus ſua Iuriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque vtantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque ſententias, & decreta, aut aliàs fori Eccleſiaſtici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & fauorem in eiſdem.

§. 17. Qui iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & prouentus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes, vſurpant, vel etiam quauis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expreſſa licentia, ſequeſtrant.

§. 18. Qui nec Collectas, Decimas, Talleas, Præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiuſmodi abſq; ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt: Nec non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiam ſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicumque etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquo modo Preſidentes, Conſiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innouantes decreta, quæ ſuper his per Sacros Canones, tàm in Lateranenſi nouiſſimè cele-

lebra-

lebrato, quàm in alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique eiuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui per ſe, ſeu alios directè vel indirectè ſub quocumque titulo, vel colore inuadere, deſtruere, occupare, ac detinere præſumpſerint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Farum, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venuſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ Campaniæ, & Maritimas Prouincias, illarumque terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Ciuitateſque noſtras, Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel Iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictęque Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiecta, ſupremam iuriſdictionem in illis Nobis, & eidem Rom. Eccleſiæ competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt; nec non adhærentes, fautores, defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quouſque alij huiuſmodi proceſſus à Nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

Cæterum à prædictis ſententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem niſi in mortis articulo conſtitutus,

nec

nec etiam tunc niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita abſolui poſsint, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumuis ordinum, etiam mendicantium, ac militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate prædictis, ipſiſque ordinibus, & eorum Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate liqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, pro vt expedire nouerimus, proceſſuri.

Declarantes, ac proteſtantes, quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſsis cum vero propoſito vlterius ſimilia non committendi deſtiterit; Ac quoque eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint. Niſi prius Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, & Decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, ſeu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non compræhendere, ne eis aliter ſuffragari, quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocumque tempore continuatam in præmiſsis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcumque Iuribus Sedis Apoſtolicæ ac S. R. E. vndecumque, & quandocumque quærendis nullatenus præiudicari poſſe, aut debere.

Non obſtantibus Priuilegijs, Indulgentijs, Indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, & ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus alijs cuiuſcumque ordinis ſtatus, vel conditionis, dignitatis. & præeminentiæ fuerint, etiam

ſi, vt

ſi , vt præmittitur Pontificali , Imperiali , Regali , ſe quauis Eccleſiaſtica , & mundana præfulgeant dignitate , vel eorum Regnis , Prouincijs , Ciuitatibus , ſeu locis à prædicta Sede ex quauis cauſa , etiam per viam contractus , aut remunerationis , & ſub quauis alia forma , & tenore , ac cum quibuſuis clauſulis , etiam derogatoriarum derogatorijs conceſſis , etiam continentibus , quod excommunicari , anathematizari , vel interdici non poſsint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam , ac de verbo ad verbum de Priuilegijs , Indulgentijs , & Indultis huiuſmodi , ac de Ordinibus locis , nominibus proprijs , cognominibus , & dignitatibus eorum mentionem , nec non conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumq; longiſsimi temporis , & alijs quibuslibet obſeruantijs ſcriptis , vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias quominus includantur in eis ſe iuuare valeant vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum nihil penitus omiſso , insererentur præſentibus pro expreſsis habentes , penitus tollimus , & omnino reuocamus cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Vt verò præſentes noſtri Proceſsus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur , chartas , ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes valuis Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi facimus; vt ij, quos Proceſſus huiuſmodi concernunt quod ad ipſos non peruenerint , aut quod ipſos ignorauerint nullam poſſint excuſationem prætendere , aut ignorantiam allegare , cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, vt proceſſus ipſi , & præſentes litteræ , ac omnia , & ſingula in eis contenta eo fiant notiora , quo in pleriſque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata : Vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis , Epiſcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium , ſeu alios præſentes litteras , poſtquam eas receperint , ſeu eorum habuerint notitiam ſemel in anno , aut ſi expedire viderint etiam pluries in Eccleſijs ſuis , dum in eis maior Populi multitudo ad Diuina conuenerit , ſolemniter publicent, & ad Chriſtifidelium mentes reducant nuncient , & declarent.

Cæterum

Cæterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque locorum Ordinarij, & Eccleſiarum Prælati, nec non Rectores cæterique curam animarum exercentes, ac Presbiteri ſæculares, & quorumuis ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confeſſiones quauis auctoritate deputati tranſumptum præſentium litterarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis Ordinarij Rom. Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, ſexto idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno primo.

Digitized by Google

B V L L A

SANCTISSIMI D. N. D.

PII DIVINA PROVIDENTIA

P A P AE IV.

SVPER RESIDENTIA PRÆLATORVM, Parochialium , & aliorum Curam Animarum habentium , & reſidere debentium.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula , meritis licet inſufficientibus , diuina diſpoſitione conſtituti, cunctos non ſolùm vigilantiæ noſtræ commiſſos Dominicos Greges , ſed etiam ſingulorum Paſtorum ſuorum actus intentâ noſtræ mentis acie colluſtrantes , ſtudium efficax , operamque ſedulam ad hoc omninò ſtatuimus adhibere ; vt quemadmodum operoſum Sacri Concilij Trident. progreſſum , felicemque exitum , Domino cooperante præſtitimus ; ita ſanctiſſima illius Decreta , ipſorum præſertim , qui in Apoſtolicæ ſollicitudinis partem vocati ſunt , Paſtorum officium concernentia non tepide , neque diſſimulanter exequamur. Sane licet in Concilio præfato , ſaluberrima fuerit ordinatione decretum , quod omnes,

omnes, & ſinguli Venerabiles Fratres noſtri Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alii Beneficiati apud Eccleſias Sponſas ſuas reſidere teneantur; nonulli tamen (quod non ſine animi noſtri mœrore referimus) adeo ſui, gregumque, quos olim deperditos Saluator Noſter proprio ſanguine redimere dignatus eſt, ſibi creditorum obliti ſunt, vt etiam nunc in Alma Vrbe, vel alibi commorantes, & ſacroſancta ſpiritualis Matrimonii inter eos, ſuaſque Eccleſias ſolemniter contracti Iura confundentes, Sponſas ſuas in longa quaſi viduitate relictas, ac prædictas Eccleſias quomodocumque ſibi conceſſas inuiſere, & apud illas, vt probos, & prouidos Patres familias decet, reſidere non curent in perditionem animarum ſuarum, & ſubditorum ſuorum, ac perniciosum exemplum, & ſcandalum plurimorum: Nos hanc illorum contumaciam alicuius, etiam temporalis pœnæ metu frangendam, ſeu conuincendam eſſe, cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis præfatis, ac aliis quibuſcumque etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus, prædictas Eccleſias in Commendam, vel adminiſtrationem, aut alio quouis nomine obtinentibus, & aliis quibuſcumque beneficiatis Curam Animarum habentibus, qui iuxta Decreti ſuper reſidentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, perſonalem in ſuis Eccleſiis reſidentiam facere tenentur in virtute ſanctæ obedientiæ, & vltra pœnas in dicto Decreto Concilii contentas, etiam ſub priuationis eorum à regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum, ac aliis noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis ſucceſſoris noſtri, arbitrio imponendis pœnis diſtrictè præcipiendo per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omni mora ceſſante in eiſdem ſuis Eccleſijs iuxta formam, & tenorem dicti Concilii perſonaliter reſideant. Et nihilominus, ſi quos mandato noſtro huiuſmodi, quod abſit, non parere contigerit, ne etiam tales abſentes melioris in hac parte conditionis, quam cæteri in ſuis Eccleſiis reſidentes exiſtant, hac noſtra perpetuò valitura ſanctione per præſentes ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps omnia, & ſingula mobilia, immobilia, etiam in Vrbe, vel eius diſtrictu exiſtentia, & ſe mouentia, res, & bona, Iura, & actiones, cuiuſcumque quali-

qualitatis, & valoris, ac vbicumq; locorum conſiſtant, ad Patriarchas Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quoſcumq; etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, & præeminentia præfulgentes, Eccleſias prædictas in titulum, vel commendam, ſiue adminiſtrationem, aut alio quouis nomine obtinentes, & alios quoſcumque beneficiatos curam animarum habentes, qui extra prædictas Eccleſias, & Diœceſes, etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & iuxta Decretum, & formam huiuſmodi Concilii non reſidentes deceſſerint, pertinentia, & per illos ſuarum Eccleſiarum, ac quorumcumq; Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuum redditnum, prouentuum Eccleſiaſticorum, nec non penſionum annuarum ſibi ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & prouentibus reſeruatarum, & aſſignatarum occaſione quæſita, etiam ſi facultatem ſpecialem de illis, aut eorum parte teſtandi, & aliàs liberè diſponendi à Nobis, & quibuſuis aliis Rom. Pontificibus prædeceſſoribus, & ſucceſſoribus noſtris, etiam cum clauſulis, quod facultates huiuſmodi reuocari nequeant, aliiſque irritantibus Decretis obtinuerint, & in vim illarum litterarum deſuper confectarum de rebus, & bonis huiuſmodi iam diſpoſuerint, tamquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam legitimè pertineant, liceatque dilectis Filiis moderno, & pro tempore exiſtenti Commiſſario noſtro Generali, & ſuis, dictæque Cameræ Deputatis, in euentum deceſſus huiuſmodi ſolitum Inuentarium ſuper rebus, & bonis præfatis conficere, illaq; prout de reliquis Clericorum ſpoliis fieri ſolet, ad dilecti Filii noſtri moderni, & pro tempore exiſtentis generalis Theſaurarii manus redigere, dictæque Cameræ applicare, cuiuſuis licentia deſuper minimè requiſita. Ac facultates, & deſuper confectas litteras prædictas, etiam motu, & ſcientia ſimilibus etiam in recompenſam laborum, & obſequiorum, etiam Nobis & Eccleſiæ Romanæ, dictæq; Sedi impenſorum quomodolibet conceſſas, & etiam iteratis vicibus approbatas, illarum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes in euentum obitus huiuſmodi, etiam ſi in Vrbe, aut eius diſtrictu, vel alibi extra ſuas Eccleſias, vt præfertur, contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & è contra in dictæ contumaciæ pœnam eiuſdem poteſta-
tis

tis plenitudine, & tenore renocamus; caſſamus, & annullamus: Ac tàm eas, quàm earum prætextu quomodolibet pro tempore condita, factaque teſtamenta, codicillos, legata, donationes, & alias diſpoſitiones quaslibet etiam ad pias cauſas, vel in remunerationem ſeruitiorum nulla, & inualida, nulliuſque roboris, vel momenti fore, neque quicquam contra præſentium tenorem ſuffragari, & ſic per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales in quauis inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debere. Ac quidquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Per hoc autem noſtris, & Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Ordinationibus, Reſeruationibus, & Decretis, quoad Prælatorum, & aliorum Beneficiatorum, etiam in ſuis Eccleſijs, aut Diœceſibus reſidentium, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus, & extendimus ad habentes Eccleſias in Vrbis diſtrictu, ibique reſidentes, & decedentes, ſpolia Cameræ Apoſtolicæ applicata, hactenus emanatis, nullatenus præiudicare, neque quicquam in eis alterare intendimus, ſed ea in ſuo robore, vt antea manere volumus, præterquam quo ad eos, qui in ſuis Eccleſijs iuxta formam prædicti Concilij reſederint, & ſpecialem licentiam teſtandi habuerint, hanc enim tantùm ſaluam eis eſſe volumus; Ita vt generalis licentia teſtandis eis quamquam reſidentibus minimè ſuffragetur, ſed ſola ſpeciali ſi quam habuerint, tueri ſe poſſint. Cæterum vt præceptum, manditum, ſtatutum, ordinatio, reuocatio, caſſatio, decretum, & alia præmiſſa, præſenteſque litteræ ad eorum, quorum intereſt, notitiam deducantur, nulluſque poſſit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excuſationem allegare, ſed illa perpetuò firma, & illibata permaneant volumus, & mandamus, quod eædem præſentes in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ noſtræ Valuis, & acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris affixæ Copia illarum ibi dimiſſa, ab ea die omnes perinde arctent, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuerint. Non obſtantibus præmiſſis, ac in fauorem Curialium per felic. record. Xixtum IV. Leonem X. Iulium III. & quoſcumque alios Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam per Nos editis, & approba-

tis:

tis: Nec non alijs Litteris, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri præcepti, mandati, ſtatuti, ordinationis, reuocationis, caſſationis, annullationis, decreti, ampliationis, extenſionis, intenſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto. Septimo Kalendas Decembris. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

DE DOCTRINA CHRISTIANA,

PIVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

EX debito Paſtoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, ex alto commiſſi ad ea libenter intendimus per quæ diuinus cultus, fideliumque devotio vbique ſuſcipiat incrementum, ac ipſos Fideles ad id Indulgentiis, & remiſſionibus inuitamus, vt Chriſti fideles ipſi per temporalia, quæ egerint, conſequi valeant præmia felicitatis æternæ.

Primus. Nos igitur attendentes, quod infantes, & pueri bonis moribus, & exercitijs educati quaſi ſemper vitam pudicam honeſtam, & exemplarem, ac aliquando ſanctam agunt; è conuersò autem, qui parentum carentia, ſeu paupertate, aut incuria, vel ignauia non ſic educati perſæpe ducuntur in exitium, & quod peius eſt ſecum ducunt plures in interitum; vnde ſi diligenter educati, & in Doctrina Chriſtiana inſtructi fuerint à vitijs, & multis alijs erroribus retraherentur: Conſiderantes etiam, prout ex fide dignis relationibus intelleximus, quod nonnulli approbatæ vitæ Chriſti fideles charitate omnium ſuprema virtute circa hoc tàm pium, tamque Reipublicæ ſaluberrimum opus accerſiti, in ſingulis feſtiuitatibus, & Dominicis diebus in diuerſis Eccleſiis, & locis hoc opus ſanctiſsimum amplexi ſunt, & ibi eoſdem infantes, & pueros, ac alias miſerabiles perſonas Chriſtianæ veritatis ignaras congregari faciunt, & eos bonis moribus, & ſana doctrina inſtruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo ſalutiferi fructus hactenus prouenerunt, & in dies magis, auxiliante Domino, ſperamus. Et quod ſi ad hoc opus Sanctiſsimum vbique locorum exercendum præfatos Chriſti fideles paternis fauoribus,

& in-

& indulgentiarum muneribus inuitaremus, proculdubio non ſolùm eorundem infantium, & puerorum, ac perſonarum aliarum ſaluti conſuleretur; verùm etiam deuotio Chriſti fidelium omnium ad præfatum opus amplectendum multò magis augeretur.

Secundus. Cupientes igitur tam pio, tamque laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere Creatori, ex certa noſtra ſcientia vniuerſos, & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Eccleſiarum Prælatos, & locorum quorumcumque Ordinarios vbilibet conſtitutos præſentes, & futuros rogamus, & hortamur attentè eis, ac eorum in ſpiritualibus, & temporalibus Vicariis, ſeu Officialibus generalibus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hoc opus ſanctiſsimum toto pectore amplectentes aliquas Eccleſias in ſuis Ciuitatibus, & Diœceſibus reſpectiuè, ſeu loca honeſta, in quibus præfati infantes, & pueri ad audiendam Doctrinam Chriſtianam conuenire poſsint, deputent, & viros ad id idoneos vita, & moribus approbatos, qui diebus ſaltem Dominicis eoſdem infantes, & pueros, ac alias perſonas diuinæ legis expertes in articulis fidei, & præceptis Sanctæ Matris Eccleſiæ inſtruant, confirment, & eligant, atque tot Societates, ſeu Confraternitates, quot ad hoc tam ſanctiſsimum opus exercendum eis opportunæ videbuntur, inibi auctoritate noſtra erigant, & inſtituant.

Tertius. Nos enim, vt promptius, & alacrius ad hanc curam ſubeundam omnes Chriſti fideles alliciantur, & eo libentius curam ipſam ſuſcipiant, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe vberiùs refectos: De omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſsis, ſeu ſtatutis à Iure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui in aliquam dictarum Societatum, ſeu Confraternitatum vbilibet Conſtitutarum intrauerint, & adſcripti fuerint, illis videlicet, tàm qui alios docuerint, quàm qui ab aliis in articulis fidei, & præceptis Eccleſiæ huiuſmodi inſtructi fuerint, quotieſcumque in præfato Sanctiſsimo Exercitio ſe occupauerint, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Quartus

Quartus. Cæterum, quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula queque loca in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri, volumus, quod ipſarum tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 6. Octobris 1571. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Digitized by Google

DE PECVNIIS MONTIVM PIETATIS.

PIVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

ONEROSA Paſtoralis officij cura, meritis licet imparibus Nobis ex alto commiſſa poſtulat, vt bonorum quorumcumque miſerabilium perſonarum ſubuentioni deſtinatorum conſeruationi conſulamus, pro vt in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Cum itaq; ſicut accepimus, pecuniæ Montium Pietatis nuncupatorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici ad vſus pauperum mutuo dandæ, in alios vſus auertantur, & in dies minuantur.

Nos huic malo oppoituno remedio, quantùm cum Domino poſſumus, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris vniuerſis, & ſingulis Montium Pietatis huiuſmodi Præſidentibus, Protectoribus, Defenſoribus, Adminiſtratoribus, Deputatis, & Officialibus quibuſcumque, nec non Communitatibus, Vniuerſitatibus, & eorum etiam Officialibus quarumcumque Ciuitatum, Terrarum, & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici quacunque dignitate fulgentibus, etiamſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, aut S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legati exiſtant, ne de pecunijs ad dictos Montes ſpectantibus, ac tàm pro ſorte principali à principio illis aſſignatis, quàm pro dictæ ſortis augumento poſtea aquiſitis, in alios quàm pauperum vſus, iuxta modum, & formam in erectione dictorum Montium præſcriptam, abſque Noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſub quouis prætextu, vel quæſito colore,

Digitized by Google

lore, & cum obligatione intra quodcumque breue tempus reſtituendi diſponere præſumant, tenore præſentium prohibemus. Quod ſi quis contra hanc noſtram prohibitionem venire præſumpſerit, Cardinales quidem, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi ſuſpenſionis, aliæ verò inferiores perſonæ excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua non niſi à Romano Pontifice, præter quàm in mortis articulo abſolui poſſint.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in loco publico Montium Pietatis huiuſmodi, quod ab omnibus legi poſſit, continuo affixa remaneat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Februarij 1615. Anno Decimo.

DECLARATIO DECRETI QVO PROHIBETVR ABSOLVTIO

A Caſibus reſeruatis.

EDITVM fuit alias à Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſita Decretum ſuper abſolutione à caſibus reſeruatis eius, qui ſequitur tenoris.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita iuſtis, & grauibus cauſis id exigentibus, ac de Sanctiſſimi D. N. Clementis Papæ VIII. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus tàm ſæcularibus, quàm regularibus per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus ad Confeſſiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis IESV, & generaliter quarumcumque illarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum, ſub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè ſcripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſæcularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu aliàs quomodocumque ſub quibuſuis tenoribus, formis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad cuiuſuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeu confirmatarum, alicui cuiuſuis ſtatus, gradus, & conditio-

Digitized by Google

ſitionis , aut dignitatis tàm Eccleſiaſticæ , quàm Sæcularis, etiam Regiæ , vel Imperialis ab vllo ex caſibus clarè , vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita contentis , vel aliàs quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis , aut in futurum , & per ſanctitatem ſuam , eiuſque ſucceſſores pro tempore in eadem Bulla , vel aliter reſeruandis , nec etiam à caſibus quos Ordinarij locorum hactenus reſeruarunt , vel impoſterum ſibi reſeruabunt , nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti , niſi in mortis articulo , ſeu cum noua vel ſpeciali ſanctitatis ſuæ , aut ſucceſſorum ſuorum , vel Ordinariorum quoad caſus ab ipſis tantum reſeruatos , reſpectiuè impetrata ab ipſis licentia Ordinarij locorum exibenda abſolutionis beneficium de cætero impendere audeant , vel præſumant , ſed cum opus fuerit Pœnitentes ad Superiores, legitimoſq; Iudices ſuos accedere conſulant , ſub pœna contrafacientibus tàm regularibus , quàm ſæcularibus excommunicationis , priuationis officiorum , & dignitatum , aut beneficiorum , inhabilitatis item audiendi confeſſiones , & quæcumque officia præturas , beneficia impoſterum obtinenda , ipſo facto abſque vlla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine niſi à Rom. Pontifice habilitatio, diſpenſatio , aut abſolutio præterquam in mortis articulo poſſit impertiri ; Sanctitas enim Sua (quatenus opus ſit) facultates , & conceſſiones ipſas in hac parte vti caſſas , & irritas haberi de cætero voluit , & vult non obſtantibus quibuſcumque . Præterea nouerint Pœnitentes abſolutionem , ſi quam obtinebunt , contra huiuſmodi prohibitionem eſſe nulliuſque roboris , vel momenti .

Et ne locorum Ordinarij , quibus ius hoc reſeruandorum caſuum competit , plurium , quàm opus ſit , reſeruatione ſubditis , aut Confeſſarijs in Animarum ſalute procuranda cooperantibus , ſint oneroſi , monentur omnes , vt paucos, eoſque tantùm , quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam , Animarumque ſibi creditarum ſalutem pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu , & qualitate neceſſariò reſeruandos eſſe iudicauerint reſeruent . In quorum fidem &c. Romæ die 9. Menſis Ianuarij Anni 1601.

Cum autem dubia quædam , ac difficultates circa eiuſdem Decreti interpretationem , atque obſeruationem emerſiſſent, eadem Congregatio , ne vllus deinceps obſcuritati , ſcrupulo , ambiguitati locus relinquatur , & vt clarius appareat , in

in quibus caſibus vigore eiuſdem Decreti reſeruatis intelligatur prohibita abſolutio, ſpeciali mandato eiuſdem S. D. N. Clementis Papæ VIII. ſimiliter viuæ vocis oraculo ſuper ea habito, ipſum Decretum ita moderauit, ac declarat, videlicet ſub eiuſdem prohibitione illos tantùm impoſterum compræhendi caſus, qui in Bulla die Cœnæ legi conſueta continentur, ac præterea.

1 Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis fel. record. Gregorij XIX. quæ incipit. Cum alias nonnulli &c.

2 Violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem.

3 Prouocantium, & pugnantium in Duello iuxta Decretum Sacri Concil. Trid. & Conſtitutionem fel. record. Gregorij XIX. incipien. Ad tollendum.

4 Inijcientium violentas manus in Clericos iuxta Canonem; ſi quis ſuadente &c. 17. q.4. ac iuris diſpoſitionem.

5 Simoniæ Realis ſcienter contractæ, atque etiam Confidentiæ beneficialis.

Item omnes caſus, quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, vel impoſterum reſeruabunt.

In quibus omnibus iam enumeratis caſibus dumtaxat, & ſublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confeſſiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in ſua firmitate, & priſtino robore permanere; Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes tàm ſæculares, quàm regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in ſupradicto decreto expreſſis ſuffulti fuerint poſſe iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates vſu ante idem Decretum receptas, ea quæ ſub alijs reuocationibus non compræhendantur tantùm, & non alios abſoluere à caſibus in præſenti declaratione non compræhenſis: Alijs verò Sacerdotibus huiuſmodi priuilegia non habentibus nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos caſuum reſeruatio ſpectat ea in re modum excedant, eadem Sac. Congregatio illos rurſus magnopere admonendos cenſet, vt non partim, ſed cum id videbitur communi bono expedire atrociorum tantùm, & grauiorum criminum abſolutionem ſibi reſeruent, quorum reſeruatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in deſtructionem cedat; ne alioquin Sacramento Pœnitentiæ miniſtrorum coarctata poteſtate S. Matris Eccleſiæ piæ menti con-

contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperfluè reſeruent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta, & contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos. Facultatem verò, & licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis, quàm in ſcriptis tantùm concedi permittebatur, etiam ſola viua voce concedi poſſe declarat. Cæterum ne quis Sacerdotum ſæcularium, aut regularium ſub prętextu, & per primo dictum Decretum non fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus priuilegijs derogatum eidem Decreto ſic, vt pręfertur, declarato contrauenire audeat, Sanctitas Sua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis omnibus in fauorem quorumcumq; Ordinum, ſeu inſtitutorum regularium, aut Sacerdotum tàm ſęcularium, quàm regularium editis, nec non eorundem Ordinum, ſeu Inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum ſæcularium, ſeu regularium locorum quorumcumq; etiam Iuramento Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq;, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis eiſdem Ordinibus, ſeu Inſtitutis, ac etiam Eccleſijs, & Monaſterijs, & ſæcularibus, ſeu regularibus locis, aut perſonis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoris, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent pręſentibus pro expreſſis habens quoad ea, quę præſentibus aduerſantur illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogat, contrariis quibuſcumq; non obſtantibus. Romæ die 26. Nouembris 1602.

ALEX. CARD. FLORENT. EPISC. PRÆNEST.

Hier. Agucchius Secret.

DECRETA
SACRÆ
CONGREGATIONIS EPISCOPORVM, ET REGVLARIVM
SVPER ABSOLVTIONE A Caſibus reſeruatis.

QVONIAM Sacr. Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum , ac Regularium præpoſitorum nuper accepit , quam plures regulares tantum facultatis , ſeu priuilegii ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri , vt etiam à caſibus locorum Ordinariis in eorum Diœceſibus reſeruatis abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia pœnitentes abſoluere minimè dubitent , nonnulloſque alios in decreto prohibitionis à Caſibus Sedi Apoſtolicæ , vel locorum Ordinariis reſeruatis die 9. Ianuarii 1601. felic. record. Clementis Papæ VIII. iuſſu edito; nec non in declaratione illius , eodem Clemente Pontifice iubente ; die 26. Nouembris 1602. promulgata Excommunicationes Sedi vel Ordinariis prædictis reſeruatas minimè compræhenſas aſſerere ; vnde fit vt metus , quo homines à peccando coercentur , abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo Sac. eadem Congregatio de Sanctiſſimi Domini N. Pauli Papę V. ſpeciali mandato viuæ vocis oraculo deſuper habito , Decretum huiuſmodi illiuſque declarationem , nec non cenſuras, in eiſque contenta omnia confirmanda , atque innouanda opere prætium duxit , prout per præſentes confirmat , atque innouat , ab omnibuſq; Sacerdotibus tàm ſæcularibus , quàm regu-

Digitized by Google

regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, militantium Congregationum, aut cuiuſuis alterius inſtituti etiam neceſſariò exprimendi, quouis nomine nuncupentur inuiolabiliter obſeruari, ac inſuper vt nulli ex Sacerdotibus prædictis quibuſcumq; priuilegiis, indultis, & facultatibus ſuffulti ab Excommunicationibus, vel à Caſibus eiſdem Ordinariis, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, tàm ad forum contentioſum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præter quàm in mortis articulo abſoluere audeant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat ſub eiſdem cenſuris, & pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis mandat, ac præcipit, non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiuſmodi noluit non obſtare. Datum Romæ 7. Ianuarii 1617.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas regulares à Sede Apoſtolicâ poſt Sac. Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant abſoluendi à Caſibus Ordinario loci reſeruatis, quemadmodum nec indulta abſoluendi à Caſibus contentis in Bulla, quę in die Cœnę Domini legi conſueuerunt, vt potè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiuſdem Caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis. Ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe ac fore: ab alijs verò Caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiquidem regulares habeant à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe ijſdem Sacr. Congreg. Decretis hac de re editis iuſſu fel. record. Clementis VIII. quam Sacr. Congreg. ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbauit, mandauitque ab omnibus ad quos pertinet inuiolabiliter obſeruari. Romæ 18. Nouembris 1628.

DECRETVM

QVO CONCEDITVR,

Et præſcribitur facultas

ORDINARIIS,

CIRCA ACCESSVM REGVLARIVM

Ad Monaſteria Monialium ad colloquendum cum eis.

CVM aliàs de Anno 1590. per Sacram Cardinalium negocijs Regularium Præfectorum Congregationem de mandato fel. record. Sixti Papæ V. circa acceſsum Regularium cuiuſcumque Ordinis ad Monialium Monaſteria fuerit decretum, quod nulli Religioſo cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat (ſuperiore, cui Monaſterij, vel domus cura incumbit, Viſitatore, vel Viſitatoribus, Confeſsarioque ordinario, & extraordinario, qui ad tempus deputabitur dumtaxat exceptis) liceat abſque licentia expreſsa eiuſdem Sacr. Congreg. accedere ad Monaſteria, ſeu Domus quarumcumque Monialium, vel Sororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis: Quod ſi aliquando mandato ſui Superioris aliquos Religioſos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Miſsas in ipſarum Monialium, ſeu locorum Eccleſijs, ſiue Oratorijs exterioribus, ſiue extra Clauſtra exiſtentibus mitti contigerit, ne dicti Religioſi vllo quæſito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam perſonam intra Clauſuram degentes alloqui poſſint, ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendis, alijſque eiuſdem Sacr. Congreg. arbitrio, fueritque poſtmodum declaratum, etiam Equites S. Ioannis Ieroſolymitani ſub eo-

dem

Digitized by Google

dem Decreto comprehendi, quoſcumq; verò contrafacientes ab alio, quàm ab Apoſtolica Sede, aut à Sac. Congr. abſolui, & rehabilitari non poſſe; Ampliſſimi eiuſdem Sac. Congreg. Patres Decreta huiuſmodi innouanda, & inuiolabiliter obſeruanda ſtatuerunt. Verùm quia experientia compertum eſt, interdum ob pias, & rationabiles cauſas, eaſque ita ferente caſu repentinas, vel ab eadem Sacra Congregatione licentiam expectari ſummè incommodum, vel inutile ſit, Regularibus ſupradictis colloquendi cum Monialibus ſibi attinentibus neceſſitatem obuenire; facto verbo cum Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. & de Sanctitatis ſuæ expreſſo ordine, & mandato, facultatem tribuerunt impoſterum locorum Ordinarijs, vt quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere poſſint per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuicumque Regulari, vt Moniales ſibi in primo, & ſecundo tantùm conſanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui poſſit. Id verò non aliter, quàm ſeruata ad vnguem forma infraſcripta: Vt id nullo modo liceat diebus feſtiuis, aut in Aduentu, Quadrageſima, feria ſexta, & Sabbato, & Vigilijs, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio ad quem ſpectet eam concedere, conſignetur Confeſſario ordinario Monaſterij, qui penes ſe retinere debeat, iſque aſſociet, & præſens ſit, & Auſcultatrices de more, non autem aliæ aſſiſtant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedatur, in libriſque Cancellariæ eiuſdem Ordinarij annotetur. Quod ſi prædicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter quàm ſeruata forma ſupradicta licentias concesſerint, vel permiſerint, ſciant ſe intentionis Sanctiſſimi D. N. & Sacrę Congreg. transgreſſores, iudiciumque reformident: Regulares autem pœnis in ſupradicto Decreto contentis ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent eo ipſo ſe nouerint eſſe addictos, & arbitrio Sacræ Congr. ſeueriùs puniendos. Romæ 11. Kalend. Decembris 1623.

OCT. CARD. BANDINVS.

Laur. Campegius Secr.

DECLARATIO
SACRÆ
CONGREGATIONIS
CONCILII TRIDENTINI
A SANCTISSIMO D. N.
CLEMENTE PP. IX.
APPROBATA
SVPER ACCESSV REGVLARIVM
Ad Monaſteria Monialium.

DIE 11. Maij 1669. Sacra Congreg. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concil. Trid. Interpretum habita notitia, quod nonnulli Regulares, abſque licentia, Crates Monaſteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non eſſe interdictum per breue tempus, etiam vſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliaſque perſonas intra Clauſuram exiſtentes alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirment, diſſeminent, & forſan etiam ſcriptis euulgent, proprias grauiter illaqueantes conſcientias, & ſcandala confouentes, ad huiuſmodi pernicioſos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, reijciens, ac damnans declarauit. Regulares cuiuſcumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſtituti,

etiam

etiam de quibus ſpecialis mentio foret habenda, qui ad Monaſteria Monialium, quamuis ob Ordinarij iuriſdictione quomodolibet exempta, & etiam ipſis Regularibus ſubiecta, vel aliàs ſpeciali mentione digna, abſque legitima facultate accedunt colloquendo, etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut alijs intra Clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, alijſque contra Regulares accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium ſtatutis pœnis poſſe ab Ordinario, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coerceri.

Et die 7. Iunij eiuſdem Anni facta relatione Sanctiſs. D. Noſtro Sanctitas Sua præſentem declarationem approbauit, & typis dari, ſeruarique iuſſit.

A. CARD. CELSVS PRÆF.

Loco ✠ Sigilli.

S. Brancaccius Archiep. Adrianopol. Secr.

LETTE-

Digitized by Google

LETTERA
DELLA SACRA
CONGREGATIONE
IN MATERIA DE CONFVGITI
Nelle Chieſe, e luoghi immuni.

NON piace à Noſtro Signore, che le Chieſe, & altri luoghi ſacri ſeruano d'aſilo, e recettacolo à triſti. Onde m'hà fatto commandare di ſcriuere à V. S. che facci prohibire, & intimare per parte di Sua Beatitudine à Superiori di tutti li Monaſterij de Regolari di tutti gl'Ordini, col mezzo de gl'Ordinarij, ò come meglio piaccia à lei, che per l'auuenire non diano ricetto à ſorte alcuna di Condennati, Banditi, Ladri, ò altre Genti di mal'affare, ne à Falliti, ò Debitori ſotto pena della priuatione dell'Offitio, ſe hauerà notitia del ricetto, ancorche non ſiano trouati queſti tali ne i Monaſterij, e che ſi ſtij auuertito per punir quelli, che haueranno ardire di contrauenire à queſt'ordine. Potrà dunque V. S. andar publicando la prohibitione per li luoghi, doue ne ſarà maggior biſogno, è di mano in mano per tutto, che non ſe ne poſſa pretendere ignoranza, & il ſignore li aſſiſta con la ſua ſanta gratia.

Di Roma li 11. Aprile 1602.

Di V. S. come Fratello amoreuole *Il Cardinal di Firenze.*

S. AN

SANCTISSIMI D. N.

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE X.

CONSTITVTIO IN QVA REGVLARIVM

Priuilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

CLEMENS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SVPERNA magni Patris familias præordinatione creditum Nobis vniuerſalis Eccleſiæ myſticum agrum circumſpecta prouidentia cuſtodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) ſatagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant diſſidia inter villicos, & operarios componi, iurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus præcludi; Vt quibus vna Fides, vna Mater Eccleſia, & vnus Dominus, qui charitas eſt, & pacis cogitans cogitationes; fiat etiam cor vnum, atque anima vna; ſic etenim euulſis opportunè zizanijs, dum plantamus, & rigamus incrementum dabit Deus; Quo benedicente meſ-

ſis mul-

ſis multa fructu centeſimo cœleſte in horreum congregabitur.

Sanè cum Sacr. Concil. Trid. decretis prouidè ſtatutum fuerit, vt Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non poſſint; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant: In Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur; ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint. Atque vt nullus Secularis, ſiue Regularis etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis poſſit Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & conſuetudine quacumque non obſtantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem eiuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe, ex quibus controuerſiæ, & diſſenſiones permultæ in diem ſubſequi poſſent occaſione priuilegiorum, quæ per Sedem Apoſtolicam Religioſis Ordinibus conceſſa fuerunt.

Nos attendentes, quod aliàs diuerſis temporibus prædictæ dubitationes, & controuerſiæ nonnullis Prædeceſſorum Noſtrorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; Eiuſmodi definitiones in vnum collectas, vt magis, magiſque diſſentionum tollantur ſemina, & in poſterum firmior in Agro Dominico pax Chriſti floreat, pro ſummo, quo fungimur, Apoſtolatus officio nouis Apoſtolicis litteris muniendas duximus, & roborandas; Itaque de Conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præſtantium, & matura deliberatione Noſtra, atque ex certa ſcientia, hac generali, & perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ac declaramus.

Regu-

Regulares, qui in Eccleſijs ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; Prædicare tamen poſſe, quamuis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem ne dum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſijs licere Regularibus prædicare, eoſque contrauenientes ab illo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato cenſuris alijſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis fel. record. Gregorij XV. Prædeceſſoris Noſtri, incipientis, inſcrutabili Dei prouidentia coerceri, & puniri poſſe. Epiſcopos tamen abſque iuſta, & rationabili cauſa contradicere non debere; & huiuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratorijs ſui Ordinis ſermonem coram Populo, vel in Eccleſijs, aut ad Crates Monaſteriorum ſanctimonialium eorum Iuriſdictioni ſubiectarum, licet clauſis ianuis, & nullus ſæcularis ſibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus illos, quamuis ab Vniuerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueuerint, quoad doctrinam examinare; ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit; Et licentiam prædicandi ſemel ijſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamuis pœnitentes ſubditi ſint eius Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi iam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum; ſed egere quo ad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; Atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium vnius Monaſterii, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterij, Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones

pro vna vice audiendas , haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis huiuſmodi illarum Confeſſiones audire. Sed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos , quoties caſus deputationis contigerit. Cæterum in Monaſterijs , ac etiam Collegijs , vbi iuxta regularia Inſtituta viuitur , poſſe tàm Prælatos Regulares , quàm Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum , ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum ſæcularium , qui inibi ſunt verè de familia , & continui commenſales , non autem illorum , qui tantùm ipſis deſeruiunt. Illos autem Religioſos , qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Epiſcopis , generaliter quoque , & indiſtinctè , abſque aliqua limitatione temporis , certorumque locorum , aut generis Perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cæteros vero , qui non adeò idonei reperientur , ſi petierint ſe admitti , arbitrio Ordinariorum relinqui , ipſos autem cum limitata facultate , prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur , probare , & admittere. Semel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quouis Anni tempore , etiam Paſchali , & quorumcumque etiam infirmorum confeſſiones audire abſque vlla Parochorum , vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipi : ſufficere tamen , vt certioratio huiuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

Et eos , qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint ; Conſtitutioni , quæ incipit , omnis vtriuſque ſexus , quo ad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad eiuſmodi confeſſiones audiendas præuio examine ſimpliciter , & abſque vlla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo , ſecus autem ſi ab eius Vicario , aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis approbatos non poſſe ab eodem , qui ſic approbauit , iterum examinari ; aut ab eiſdem confeſsionibus audiendis ſuſpendi ; ſeu licentias illis conceſſas reuocari ; niſi noua ſuperueniente cauſa , quæ ipſas confeſsiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe , vt in actis conſtet ; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare ; Sed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, vbi eam ſibi aperiri poſtulauerit. Porrò ſi Regulares cum

ſcan-

ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè viuant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi iudicio videantur à confeſsionibus ſuſpendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas; vtique eam cauſam ad confeſsionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quo minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſſionibus audiendis. Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliaue Priuilegia Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis etiam Ieſu conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſoluendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſeruatis. Et per confirmationes dictorum Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concil. Trid. obtinuerunt; nequaquam reuixiſſe priuilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Et habentes facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſeruatis poſſe abſoluere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſeruatis, non autem in illa, vbi idem Confeſſor eſt approbatus abſoluere, niſi eoſdem Pœnitentes nouerit in fraudem reſeruationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migrare; Vigore ſupradictorum priuilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte abſoluere Pœnitentes à cenſuris quo ad externum, & iudiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pœnitentiali, vtique non cenſeri abſolutos in exteriori iudicio, & contentioſo. Quin immò Cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiam ſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis Priuilegiis coram Epiſcopo, ab eo iudicetur ipſa non ſuffragari caſui de quo agitur; ſi dictorum Priuilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua non eſſe ad Metropolitanum prouocandum; ſed cum eius ſit interpretari, cuius eſt condere dictorum priuilegiorum

interpretationem Sedis Apoſtolicæ Iudicio, pro vt aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris Noſtri fel. record. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendum.

Decernentes ſic, & non aliàs per quoſcumque Iudices ordinarios, vel delegatos quauis auctoritate, & dignitate fulgentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quoſuis alios ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque Perſonarum, atque quorumuis Ordinum; tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Ieroſolymitani, Congregationum, Societatum etiam Ieſu, ac cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & indiuiduò exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque tàm ſæcularium, quàm regularium locorum, nec non illorum etiam Iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla Aurea, aut alias nuncupatis; Conſeruatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſuis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis; nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, ſpecifica, expreſsa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret tenores huiuſmodi,

ac ſi

ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis quo ad ea, quæ eiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Cæterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quoque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad Valuas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes quod ad earumdem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in iudicio, & extra illud vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur ſi forent exibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtrorum Decreti, Declarationis, Derogationis, Mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerariò contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, vndecimo Kalendas Iulij Pontificatus Noſtri Anno primo.

G. DAT.

Viſa de Curia P. Ciampinus.

I. G. Sluſius.

D. Ciampinus.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1670. Indictione 8. die verò 2. Menſis Auguſti Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Diuina Prouidentia PP. X. Anno eius primo, præſens Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Hilarium Centellum SS. D. N. Papæ Curſ.

Petrus Marcheratus Mag. Curſ.

FE-

FERIA V.

DIE XXI. AVGVSTI M. DC. LXX.

IN CONGREGATIONE GENERALI Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habitæ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Clemente Diuina Prouidentia Papa X. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

CVM aliàs per Sacram Congregationem Sancti Officij iteratis Inſtructionibus ab eadem emanatis de Anno 1658. & 1665. locorumque Ordinarijs tranſmiſſis, prouiſum fuerit, vt præſcriptis interrogatorijs faciendis Teſtibus, qui ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrimonium, includuntur, omnis prorſus ſecluderetur aditus ijs, qui adhuc viuente altero coniuge, aut aliàs impediti ad ſecunda illicita vota tranſire ſatagebant: Videns nihilominus Sanctiſs. D. N. quam plures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas teſtium depoſitiones, nec non Parochos, & Notarios in caſibus expreſſis, aut omittere, aut non obſeruare earumdem Inſtructionum tenorem; Et licet aliquando plenè obſeruent, non tamen interrogare teſtes ſuper alijs impedimentis dirimentibus.

Ideo volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere re maturè con-

Digitized by Google

conſiderata cum Eminentiſsimis, & Reuerendiſsimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum iniungit omnibus Vicarijs ſeu Deputatis pro examinandis Teſtibus ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrimonium; nec non Parochis, Notarijs, & quibuſcumque alijs reſpectiuè ſub pœnis etiam grauibus corporalibus arbitrio Sacræ Congregationis; Vt Inſtructionem infraſcriptam ad vnguem obſeruent.

Vt autem præſens Decretum, & Inſtructio, ad omnium notitiam facilius deueniant, decreuit, illa ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Vrbe, ac Palatio S. Officij eiuſdem Vrbis per aliquem ex Curſoribus Sanctitatis Suæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque ſic publicata omnes, & ſingulos, quos concernunt, poſt duos Menſes à die publicationis in Vrbe faciendæ numerandos, perinde afficere, ac arctare, ac ſi illorum vnicuique perſonaliter notificata, & intimata fuiſſent.

INSTRVCTIO

Pro examine illorum Teſtium qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs, tàm in Curia Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Card. Vrbis Vicarij, quàm in alijs Curijs cæterorum Ordinariorum.

IN primis. Teſtes moneatur de grauitate iuramenti in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo diuina ſimul, & humana maieſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem, & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

Secundus. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

Tertius. An ſit ciuis, vel exterus, & quatenus ſit exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo Teſtis ipſe deponit.

Quartus. An ad examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus: ſi dixe-

dixerit, acceſsiſſe ſponte à nemine requiſitum dimittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſsiſse requiſitum. Interrogetur à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

Quintus. Interrogetur an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſsum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

Sextus. Interrogetur an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore; in quo loco, qua occaſione, & cuius qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si reſponderit negatiuè, Teſtis dimittatur: ſi verò affirmatiuè.

Septimus. Interrogetur an contrahere volentes ſint Ciues, vel exteri: ſi reſponderit eſse exteros; ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarij ipſorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero ſtatu, de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Ciuitate, vel Diœceſi.

Octauus. Ad probandum verò eorumdem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet, vſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem, cauſæ eorum ſcientiæ, abſque eo quod teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero reſponderit contrahere volentes eſse Ciues.

Nonus. Interrogetur ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

Item an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſse Vxorem vel Maritum, aut profeſsum fuiſse in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Præsbiteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahi Matrimonium.

Si vero Teſtis reſponderit non habuiſse Vxorem, vel Maritum, neque aliud impedimentum vt ſupra.

Decimus. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſsibile, quod aliquis ex illis habuerit Vxorem, vel Maritum, aut aliud impedimentum &c. & quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur, niſi ex alijs Teſtibus probetur concludenter, non habuiſse Vxorem, vel Maritum,

tum, neque vllum aliud impedimentum &c.

Si verò reſponderit negatiuè.

Vndecimus. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deinde Iudex colligere poterit, an teſti ſit danda fides ſi reſponderit contrahere volentes habuiſſe vxorem, vel maritum ſed eſse mortuos.

Duodecimus. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat fuiſſe coniuges, & nunc eſſe mortuos. Et ſi reſpondeat mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe à militibus, non detur licentia contrahendi, niſi prius recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſserunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadauera, vel ſi fieri poteſt, à Duce illius cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen huiuſmodi teſtimonia haberi non poſſint Sacra Congregatio non intendit excludere aliis probationes, quæ de Iure Communi poſsunt admitti, dummodò ſint legitimæ, & ſufficientes.

Decimustertius. Interrogetur an poſt mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negatiuè.

Decimusquartus. Interrogetur an eſse poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota abſque eo, quod ipſe teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur in licentia donec producantur teſtes, per quos negatiua coarctetur concludenter.

Si vero negatiuè.

Decimusquintus. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Iudex poterit iudicare, an ſit concedenda licentia, vel nè.

Si contrahentes ſint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in alijs ſeruata forma Concilij Trident. in capit. multi, ſeſſ. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarij, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attentè conſideretur, quod fides, ſeu teſtimonia benè, & concludenter identificent perſonas de quibus agitur.

Pro teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quàm extranei; quia præſumuntur melius informati, & Ciues, magis, quàm exteri: nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio; Et Notarius exactè deſcribat perſonam Teſtis, quem ſi cognoſcit vtatur clauſula, *mihi bene cognitus*: ſin minus examen non recipiat, niſi vnà cùm perſona Teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius teſtis, nec non de idoneitate eiuſdem ad teſtimonium ferendum. Et huiuſmodi examinibus debet intereſſe in Vrbe vltra Notarium, Officialis ſpecialiter deputan. ab Eminentiſſimo Vicario, & extra Vrbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, vt pro Matrimonijs cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſijs, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium &c. Franciſcus Riccardus S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Not. Contrauenientes autem ſeuerè puniantur.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Indictione octaua, die verò 30. Menſis Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Diuina Prouidentia Papæ X. Anno primo ſupradictum Decretum, affixum, & publicatum fuit ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Flore de Vrbe, ac Palatij S. Officij eiuſdem Vrbis per me Petrum Paulum Deſiderium eiuſdem Sanctiſs. Domini N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.

IN-

INDEX POSTREMVS.

TENOR Profeſſionis Fidei. pag.121
Forma Iuramenti præſtandi. p.123
Forma peculiaris profeſſionis fidei pró Græcis. ibid.
Lettera della Sacra Congregatione del Sant'Offitio al Veſcouo d'Ancona in ordine à i Greci. p.127
Lettera della Sacra Congregatione del Sant'Offitio ſopra i Greci. p.128
Formula deſcribendi Baptizatos. p.129
Formula deſcribendi Confirmatos. ibid.
Formula pro deſcribendis Matrimonijs. ibid.
Formula deſcribendi ſtatum Animarum. p.130
Formula pro deſcribendis Defunctis. ibid.
Requiſita exigenda in Cancellaria ab Ordinandis. ibid.
Caſus Reſeruati. p.133
Feſta in Ciuitate, & Diœceſi ex præcepto ſeruanda. p.134
Feſta ex Deuotione ſeruari ſolita. p.135
Iſtruttione per l'amminiſtratione de Monti Frumentarij. p.136
Auuertimenti alli Curati per le Viſite. p.140
Ordini, & Auuertimenti per il Sacramento della Confirmatione. p.141
Decretum Sacræ Congregat. ſuper Nominatione Concionatorum. p.144
Decreta Sacr. Congreg. Concilij de Celebratione Miſſarum. pag. 145
Declarationes aliquot Sacr. Congregat. Concilij ſuper ijſdem Decretis de Celebratione Miſſarum. p.152
Declaratio Sacr. Congreg. Concil. ſuper ſecundo Decreto eiuſdem Congreg. de Celebratione Miſſarum. p.158
Conſtitutio Gregorij XIII. contra Sollicitantes. p.160
Litteræ bon. mem. Cardinalis Mellini ſuper eadem Conſtitut. pag. 164

Bulla in Cœna Domini apponenda in Sedibus Confeſſionalibus. p.167
Bulla Pij Papæ IV. ſuper Reſidētia Prælatorum Parochialium &c. pag. 178
Bulla Pij Papæ V. de Doctrina Chriſtiana. p.183
Bulla Pij Papæ V. de Pecunijs Montium Pietatis. p.186
Declaratio Decreti quo prohibetur abſolutio à caſibus reſeruatis. p.188
Decreta Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regul. ſuper abſolutione à caſibus reſeruatis. p.192
Decretum Sacr. Congreg. circa acceſſum Regularium ad Monaſteria Monialium. p.194
Declaratio Sacr. Congreg. Concil. Trid. de eodem. p.196
Lettera della Sacr. Congreg. in materia de Confugiti alle Chieſe &c. p.198
Conſtitutio Sanctiſs. D. N. Clementis Papæ X. in qua declarantur Priuilegia Regularium quo ad Prædicationem &c. p.199
Decretum Sac. Congreg. ſuper examine teſtium ad probandum ſtatum liberum pro contrahendis Matrimonijs. p.206
Inſtructio ſuper eodem examine &c. p.207

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google